



GAUDEO.

IOANNIS CVRVI SEMMEDI

Christi Ordinis Equitis aurati, Sancti Officii Familiaris
et Domus Regiae Lusitanicae Sacratae Medici

PVGILLVS RERVM INDICARVM

QVO COMPREHENDITVR

HISTORIA

VARIORVM SIMPLICIVM

EX INDIA ORIENTALI, AMERICA,

Aliisque orbis terrarum partibus allatorum

Antehac lingua Lusitanica exaratus

Nunc uero in gratiam curiosorum latinitate donatus

Cura

ABRAHAMI VATERI
Philos. et Med. Doct. et Prof. Publ. Anatom. et Botan. Substitut.
nec non Societatum Imperial. Natur. Curios. Germ.
et Reg. Anglic. Socii.



VITEMBERGAE

EX OFFICINA TYPOGRAPHICO - LIBRARIA GERDESIANA.
cIↃ IↃcc xxII.

VIRO
ET GENTE ET MERITIS
ET DOCTRINA
ILLVSTRI
IO. DANIELI
GEYERO
ARCHIATRORVM COMITI
SALVTEM ET OFFICIA.

Quem in Bibliotheca Tua occupauit libri huius au-
ctor locum, eundem re-
petere, ſibique in praeſenti
abs Te expetere, conatur eius-
dem interpres. Quod ſi et a-
liquem inter clientes Tuos ipſi
aſſignare, Tibi placuerit, habe-
bit, de quo ſibi quam maxime
poterit gratulari. Huius rei
certe deſiderio laborauit ille
iam dudum, imo flagrauit. Per-
mittas ergo, VIR ILLVSTRIS,
eundem fauore Tuo ac praeſi-
dio frui, perſuaſumque Tibi
habeas, ipſum in pietate, ani-

mique

mique religione, ac ueneratione, qua Tibi obſtrictum ſe eſſe agnoſcit, perſeueraturum perpetua. Eſt enim, eritque ſemper

ILLVSTRIS TVI NOMINIS

Vittembergae d. IV. Mai.
M DCC XXII.

Cultor et admirator perpetuus
Abr. Vater, D.



Lectori Beneuolo

Salutem.

Materiae Medicae ſtudium, in ſimplicium, praeprimis exoticorum, uiribus medicamentoſis perſcrutandis, et inueſtigandis occupatum, uti utilitate pariter, ac iucunditate, nulli ſcientiarum cedit, ita Medicorum celebriorum animos curioſos allicit, atque delectat, noſtro imprimis hoc tempore, quo in dies plura, ex India utraque, ad nos afferuntur

remedia noua, maximis laudum encomiis celebrata. Teſtantur de hoc, ut alios nunc taceam, Celeberrimi Lochneri de Parreyra Braua, de Belilli Indico, de Botry Mexicana, Thee de Lima, herba de Paraguay, Cafe a la ſultane, aliisque nouis et exoticis Thee et Cafe ſuccedaneis, de Acriuiola, etc. ſchediaſmata non magis curioſa, quam erudita, in Ephemeridibus Academiae Naturae curioſorum obuia. Loquuntur de eo Acta, illuſtrium in Europa Societatum, literaria, exoticorum, nouiter detectorum, deſcriptionibus et laudibus refertiſſima. Prae ceteris uero de orbe erudito, ac Arte noſtra, optime promeriti ſunt Medici quidam Europaei curioſi, Indiam peragrando, ac ſingularia eiusdem conſignando. Hos inter eminent Cleyerus, Rumphius, Jagerus, ten Rhyne, Kaempferus, aliique, quorum diſſertationes epiſtolicas, ad ſe inuicem exaratas, omni rerum nouarum genere cumulatiſſimas, ex Belgico idiomate transtulit, et exhibuit Clariſſimus Valentini *in Suo Muſaeo.* Iſtis, aliisque uiris harum rerum gnaris, qui in India ipſa, aut in emporiis maritimis Europae celebrioribus degunt, et cum peregrinantibus, ex Indiis et reliquis, terra marique diſſitis, regionibus,

ad

ad ea loca confluentibus, conuerſantur, plurimorum exoticorum notitiam debemus. Commouit me hoc ipſum, ut, per plures abhinc annos, uariorum naturalium exoticorum copiam ex Batauia afferre curauerim, quorum quaedam ante aliquod tempus, in *Programmate, de Incrementis Artis Medicae, ex remediis exoticis, nouiter detectis, expectandis*, publici iuris feci, quaedam uero, poſt illud tempus accepta, inpoſterum, ubi pleniorem eorundem notitiam mihi comparauero, in lucem edere decreui. Quandoquidem uero haud ita pridem, in manus meas incidit Pugillus rerum Indicarum, Ioannis Curui Semmedi, Medici inter Luſitanos praecipui, lingua patria ab ipſo exaratus, qui uaria rariora, ex parte plane ignota, in ſe comprehendit, non ingratum officium publico me praeſtare poſſe, exiſtimaui, ut eum latinitate donarem. Hoc conſilium ut caperem, adductus ſum exhortationibus cuiusdam Patroni, ob innumera, quae in me extant, Ipſius beneuolentiae ſingularis teſtimonia, nullo non uenerationis, atque obſequentiae cultu ſuſpiciendi, cuius uoluntati morigerari, aequum fuit. Inuenies in dicto libro, Lector amice, plura ſingularia obſeruata, non

 ubiuis

ubiuis obuia, de uſu et applicatione decenti, Lapidis Bezoardici natiui, et artificialis de Goa, lapidis hyſtricis, ſiue pedra del porco, lapidis Candar, alias Pedra quadrata dicti, lapidum ſer-pentinorum, natiui, pedra da cabeça da Cobra de Pate, et artificialis, de cobra de Dios appellati, radicum Butua ſiue Parreyrae Brauae, et Ipeca-cuanhae, aliorumque iam tum notorum re-mediorum. Continet tamen idem longe plura rariora, nullibi ab auctoribus deſcripta, quo-rum uirtus ac praeſtantia, in curandis morbis plurimis eximia, ab Auctore noſtro laudibus extollitur, ac experientia propria multorum annorum confirmatur. Nullatenus quidem diſſimulandum eſt, non pauca inter eadem occurrere, quae fabulam ac ſuperſtitionem ſapiunt, quo uitio etiam aliae remediorum exoticorum deſcriptiones laborant. Non ad-ducam nunc ungulae alcis, extrinſecus ap-plicatae, uirtutem antepilepticam, falſa per-ſuaſione ſuffultam, qua creditur, animal hoc affligi ſaepiſſime epilepſia, et, intruſione pedis ſiniſtri in aurem, ab ea liberari. Su-ſpecta etiam eſt, efficacia uariorum amuleto-rum, dorſi ſerpentis Zuchi contra ſtrumas, radicis Moçuaquim contra eryſipelas, radi-

cis

cis de Maranga, secum gestatae uirtus, fugandi uiperas et serpentes, e longinquo, et quae plura talia sunt. Multo minus quis ad credendum induci facile poterit, lapidem Candar, seu Pedram quadratam, tantis gaudere uiribus, ut, femori alligatus, non tantum foetum cum secundinis, sed ipsum uterum, cum uisceribus extrahat, nisi, edito partu, cito remoueatur. Talia tamen nullatenus in malam partem uertenda sunt uiro, qui scriptis quam plurimis, iterum iterumque impressis, aliisque in rempublicam meritis, maximam inter suos adeptus est nominis famam, eoque effecit, ut Regia Maiestas sacratissimi corporis curam ipsi demandarit. Fatetur etiam noster, se plurima ex relatione aliorum hausisse, neque dissimulat idem, scientiam istorum exoticorum esse adhuc insufficientem, confusam, parumque securam, adeoque omnia accuratiori examine indigere. Laudem itaque meretur potius Auctoris industria, atque curiositas, qua ductus, ex India redeuntes percontando, literasque inde missas perlustrando, harum rerum notitiam, uti ipse perhibet, sibi comparauit. Vltimo tandem loco monendum restat, nomina quaedam propria plantarum, radicum,

et

et aliorum materialium, ob defectum lexici Lusitanici, ad hunc laborem idonei, uersionem respuisse, quae Lusitanice addere, coacti sumus. Sunt tamen pauca, nec adeo magni momenti. Accipe ergo, amice Lector, beneuolo animo, praesentem tractatum, meosque conatus, publico inseruiendi, in bonam partem interpretare. Ita uale et faue.



HISTO-



HISTORIA
VARIORVM SIMPLICIVM
Ex India Orientali, America, aliisque orbis terrarum partibus allatorum, ad multorum morborum curationem proficuorum, expositis simul singulorum uiribus medicamentosis, modoque eadem applicandi.



Ex India, aliisque Europaeis regionibus, ad nos afferuntur remedia, singularibus uirtutibus praedita: suntque maximam partem lapides, radices, cortices, semina, et fructus. Quoniam uèro nemo hactenus publico communicauit usum horum remediorum, modumque applicandi, inde factum est, ut plures, remedia talia licet ipsi possidentes, tamen uariis morbis enecati

A fue-

fuerint, a quibus facile curari potuiſſent, niſi notitia uirtutum in illis abditarum deſtituti fuiſſent. Huius rei conſideratio excitauit curioſitatem meam, ac deſiderium inſeruiendi publico, quo adductus magnam adhibui diligentiam, non tantum percontando illos homines, qui ex India aliisque orbis terrarum regionibus ad nos uenerunt, ſed etiam perſcrutando MSta, ex quibus notitiam horum et aliorum remediorum hauſi. Quo factum, ut talem uirtutum iſtorum lapidum, corticum, radicum, fructuum, acquiſiuerim notitiam, quam, ut publici fiat iuris, dignam iudicaui. Quodſi ob illud, quod publico eo ipſo praeſto, officium, nullam promerear gratiam, certo dignus nequaquam ero reprehenſione. Hanc a nemine expecto, niſi ab hominibus adeo ingratis, atque animo deprauatis, qui inducti aut malitia, aut ignorantia, id agunt, quod ii, qui lac ſugendo, mammam mordent.

Remedia, ex India orientali, et aliis orbis terrarum regionibus allata, qualia ſunt, lapides, cortices, oſſa, fructus, ſemina, aut radices, dari ſolent infuſa, aut pulueriſata in aqua communi. Alii ea exhibent miſta cum aqua oryzae, quam iſtarum regionum incolae uocant Ambatacania; Quidam ea dant cum ſucco limonum, (citri) hi uero, quibus talia exhibentur contra febres, illis utuntur in acceſſu et declinatione earum.

Experientia Mauritanorum, et aliarum Aſiae gentium fuit magiſtra, quae nobis dedit primam notitiam, uſus et applicationis horum remediorum. Praeterea experimenta quorundam curioſorum confirmarunt egregia commoda, ex operatione eorum ſaepiſſime reſultantia.

Non

Non negligendae tamen ſunt generales euacuationes, quibus Panditi, qui curant in illis terris, aeque utuntur, in principio morborum, cum quadam euacuatione praecedente, non differendo earum applicationem: eaque ratione curant iſti maxime acutos et malignos morbos. Obſeruandum autem eſt tempus uenaeſectioni, purgationibus, clyſteribus et uomitoriis conueniens, nimirum ante cordialium uſum, ita, ut non omnia exhibeantur eodem tempore, nec ut permiſceatur unum medicamentum cum alio, antequam unum quodque horum fecerit effectum optatum. Multi ſane Medici, aliique, qui hoc ignorant, in ea ſunt opinione, Bezoardica, aliaque, ex India, et aliis regionibus allata remedia, non edere eosdem effectus admirandos in Portugallia, quos edunt in India, et loco ſuo natali, tam, ob differentiam climatis; quam propterea, quoniam huc allata non retinent efficaciam, quam habebant in loco natali. Huic dubio reſpondeo, quod omnia ſimplicia ſeruent ſuas uires a DEO ipſis inditas, niſi accedat corruptio. Videmus, et experientia confirmamur, quod ex illis ſimplicibus, quae ex regionibus acquiſitis apportantur in pharmacopolia regni noſtri, multa fiant compoſita, et remittantur in illas terras conquiſitas, in utilitatem aegrorum, quae ibidem eosdam effectus bonos poſt ſe relinquunt, quos praeſtiterunt in Luſitania; licet climata diuerſa ſint. Aſſeruantur autem complura ſimplicia in officinis, corruptioni multo magis obnoxia, quam ullum ex Bezoardicis Indiae, utpote quae longe melius, et diutius durant.

Non desunt inter nostros, qui possent monstrare simplicia quamplurima, ex India ante triginta annos allata, quae ad hunc usque diem conseruarunt omnes suas uires, quibus isto tempore praedita fuerunt, eosdemque effectus bonos monstrant in Lusitania, quos edunt in India.

His ita praemissis, tanquam ueritate experimentis confirmata, aggredior nunc tractationem omnium et singulorum simplicium, de quorum uirtute singulari, quicquid compertum habeo, referam, incipiendo a Lapide Bezoardico, utpote inter reliqua magis noto, et usitato, in Lusitania aeque, ac toto orbe.

LAPIS BEZOAR SIMPLEX.

Regimen, et uires lapidis Bezoardici simplicis, siue natiui; qui generatur in uentriculo animalium, capris admodum similium.

Primo opus est, accurate examinare, utrum lapis Bezoar sit genuinus, uel spurius, quia, si sit genuinus, excellentes edit effectus, hac quidem conditione, ut exhibeantur XXIV grana eius, pro quauis dosi. Quodsi enim tantum tria uel quatuor grana dentur, prout uulgus Medicorum solet, nullum effectum praestat, ob quantitatem exiguam. Sic uero remedium hoc diffamatur, uita aegri saepe perditur, ac pecunia male dilapidatur. Hoc tamen non timendum, si la-

ſi lapis ſit genuinus, et in quantitate ſupra dicta adhibeatur.

Oportet uero Medicos iuniores, attendere ad duo momenta admodum grauia, circa eius applicationem. Horum primum eſt, ut lapis dictus exhibeatur cum decocto Scorzoneae, uel papaueris, uel Cardui benedicti: quoniam hi, qui lapidem miſcent cum aquis deſtillatis, errant maximopere, eas ob cauſas, quas curioſi uidere poſſunt in *Polyanthea mea, edit. ſecund. Tract. II. c.128. fol.770. ſeqq.*

Altero loco aduertere debent, ut miſceant lapidem cum quinque, uel ſex unciis decocti antea dictarum herbarum. Qui enim hunc lapidem exhibent cum duobus tantum cochlearibus aquae, uti ſolent Chirurgi, aeque peccant, quia quantitas aquae tam exigua non eſt ſufficiens uehiculum, ut lapidem ad loca corporis remota, quibus auxilium ferre debet, promouere posſit. At miſtus lapis cum maiori quantitate aquae, longe maioris eſt efficaciae in anxietatibus cordis, uertigine, uitiis reſpirationis, omnibusque febribus acutis, et malignis, dando de eo quacunque hora, quae neceſſitas poſtulat, praemiſſa uenaeſectione.

In ſuppreſſionibus urinae pertinacibus lapis Bezoar, ſi ſit genuinus, efficax eſt remedium, obſeruando, ut ante eius applicationem detur prius aegro uomitorium, ex tribus unciis Aquae benedictae, uel ſex granis Tartari emetici, uel drachma ſemis Vitrioli albi, hinc uero eidem ſecetur uena altero die quater, tertio die ter, ac quarto die iterum ter. Quandoquidem enim caſus hic adeo periculoſus et moleſtus eſt, requiritur, ut remedia citiſſime applicentur; alias, niſi uri-

na ſuccedat, ante ſeptimum diem, aeger moritur. Eaque de cauſa rogo per DEVM Medicos incipientes, ut curam ſuppreſſionis urinae, licet ſit pertinax, et inueterata, incipiant infallibiliter per Vomitoria, et repetitas uenaeſectiones in brachiis. Hoc enim conſilium nititur experientia quinquaginta annorum, multisque exemplis ſuppreſſionis urinae, a me hac methodo feliciter curatae: uti curioſi uidere poſſunt in *mea Polyanthea edit. ſecund. Tract. II. c. LXXXI. fol. 509. a n. 36. ad 40.* ubi inuenient nominatos aegros, quos hac uia a ſuppreſſionibus pertinaciſſimis liberaui, quorum quidam iamtum extremam unctionem acceperant, quando me uocarunt.

Ignoſcas lector, quod hanc digreſſionem fecerim. Effecit zelus, periclitantem multorum uitam tuendi, quod cautelam adeo utilem dederim iis, qui artem noſtram profitentur.

Rediens ad propoſitum de Lapide Bezoar, dico, poſt uomitoria et uenaeſectiones largas, quae ſunt remedia abſolute neceſſaria, dari debere iſtius lapidis grana uiginti quatuor, mixta cum octo unciis aquae calidae; quae prius coquatur cum uncia una corticis fabariae ſiccae, (Faueyra ſeca) aut huius defectu cum uncia ſemis erucae marinae; uel huius loco cum drachmis duabus herbae Sabinae, aut, quod adhuc melius, cum uncia ſemis uirgae aureae. Tandem inſeruit quoque lapis Bezoar ad aperiendum aluum iis, qui obſtructione laborant, ea conditione, ut eum aſſumat aeger ſex diebus ſucceſſiuis, ieiuno uentriculo, miſtum cum drachma una cremoris tartari genuini, diſſolutis omnibus in ſextario decocti Borraginis, uel prunorum. Dico autem

tem Cremorem tartari genuinum, quia hodie in regno noſtro magna copia eiusdem, adulterati cum alumine, diuenditur, qui non laxat, ſed potius obſtruit. Qui hoc ſcrupulo liberari uolunt, ſumant loco cremoris tartari, drachmam unam tartari uini albi, ſubtiliſſime pulueriſati, et experientur inde magnam alui facilitatem.

LAPIS CORDIALIS COMPOSITVS.

Regimen, et uires eius.

Iſte lapis non generatur in inteſtinis ullius animalis, ſed artificio componitur, et conſtat uariis ingredientibus, quae omnia ſunt optima et ſelectiora Cardiaca et Bezoardica. Artifex, qui eum componit, eſt Religioſus ſocietatis JEſu, degens in India, qui eosdem format maiores, uel minores, prout ipſi placet. Iſti autem lapides, compoſiti manibus huius religioſi, ſingulares obtinent uirtutes in curandis morbis ſequentibus:

In Febribus malignis et ardentibus, quando aeger ſentit anxietates uehementes, dentur ipſi grana uiginti quatuor pulueris eius, in decocto Scorzonerae, uel papaueris, uel ceraſorum nigrorum. Ea enim quantitate aſſumtus, mitigat calorem et ſiccitatem, a febre dependentem, et defendit cor a malignitate, illudque confortat, et reficit. Quodſi aeger propter ingentem debilitatem, aut ob aetatem prouectam, appetat uinum, dentur ipſi uiginti quatuor grana huius lapidis com-

comminuti, cum duobus cochlearibus uini generosi. Non uideri debet Medicis nouitiis, quod sit error et temeritas, si demus istum lapidem in uino, quoniam grauissimi auctores hoc permittunt, ideo, quia uinum generosum est promptissimum remedium, ad restaurandas uires, et confortandum cor, quando idem languescit.

Quocunque tempore, quo Melancholia corripit aegros, aut sanos, siue coniuncta sit febris, siue non, potest dari lapis dicta quantitate, et quidem, si febris absit, cum uino generoso, sin uero adsit, eadem cum decocto Scorzonerae, uel Borraginis.

Assumtus dictus lapis cum aqua, cocta prius cum drachma una radicis contrayeruae, aut Serpentariae uirginianae, aut harum radicum loco cum Carduo benedicto, est remedium efficax contra omne genus ueneni, sed in principio dari debet, siue illud oriatur a morsu uiperarum, siue lacertarum, aranearum, aut aliorum animalium uenenatorum; hinc uero et plagae inflictae imponi debet.

Assumtus cum uino, ieiuno uentriculo, praeseruat a morbis, qui oriuntur ab aere corrupto. Curat miraculi instar leprosos, (nisi sit malum iam tum confirmatum) ita, ut sumatur per duos menses continuos, ieiuno uentriculo, miscendo grana uiginti quatuor eiusdem cum anatica parte Antimonii diaphoretici, quater calciniati, et per duas horas fortissimo igne reuerberati: Exhibeatur hic puluis in dimidio sextario aquae communis, leuiter coctae cum floribus arboris buxi, quia hi flores egregie purificant sanguinem ab acredine, et a particulis mordacibus et corrosiuis.

Illi

Illi, qui affliguntur ex hepate, ſumant lapidis grana uiginti quatuor, per duos menſes in ieiunio, in dimidio ſextario decocti radicis braſſicae marinae, aut (Vimal) quia utraque harum herbarum efficaciter temperat calorem hepatis, et inteſtinorum.

Sumtus idem lapis per quadraginta dies ieiuno tempore, in ſextario dimidio aquae, coctae cum manipulo foliorum ſpinae albae, quam uocamus Rhamnum, et cum raſura oſſium cerui, occidit infallibiliter lumbricos, curatque porriginem, cruſtas, et puſtulas corporis.

Si uſurpentur per ſex dies continuos, ieiuno tempore, uiginti quatuor grana lapidis huius pulueriſati, in unciis quatuor uini Rhenani, uel albi, in quo infuſa fuit drachma una radicis Butua, aut corticis fabariae ſiccae, aut foliorum Sabinae, urinam mouebit; aegrumque liberabit a ſuppreſſione urinae, licet pertinaciſſima. Obſeruetur tamen, quod illi primo die exhiberi debeat uomitorium, ex ſex granis tartari emetici, aut tribus unciis aquae benedictae, et poſtea ſubſequentibus duobus diebus fiant ſex uenaeſectiones.

Confiteor ingenue, quod, poſtquam per gratiam DEI, pro ſalute aegrotantium, inuenerim meum Bezoardicum, quod uocatur Curuianum, contra febres malignas, uariolas, et morbos uenenoſos, non utar amplius lapide Bezoar. Quamuis enim bene de eo ſentiam, ſi quidem genuinus fuerit; offerunt tamen ſe mihi quaedam dubia, et rationes, uſum eius diſſuadentes. Video enim, quotannis afferri ex India tot pondera horum lapidum, quos omnes eſſe genuinos, uix credi poteſt. Praeter hoc argumentum, noui ex relatione hominum fide dignorum, qui per plures annos in In-

dia commorati sunt, quod non omnia animalia, in quibus hi lapides generantur, tales habeant; et, si interdum quoddam ex istis possideat duos lapides, id pro miraculo naturae habeatur. Sufficientes propterea, existimo, has esse rationes, quo minus iisdem utar, nisi certo constet, eosdem esse ueros.

Quod autem attinet lapides cordiales compositos, alia obstat grauis et fundata diffidentia, propter quam illis non facile utor. Eaque inde originem traxit, quod ipsi religiosi societatis IEsu, qui in Goa genuinos, et omni aestimatione dignos efficiunt, grauiter conquerantur, adulteratos quoque per totum orbem distribui, sub honorando illo nomine, ac si compositi essent ab ipsis patribus.

Nec ibi tantum reperiuntur tales falsarii, sed etetiam Lisabonae sunt, qui lapides eiusmodi fucatos efficiunt, adeo similes genuinis, ut fraus et fallacia non possit cognosci, nisi postquam quidam eorum franguntur; ubi apparet, quod sint compositi ex argilla, e qua fiunt uasa alba fictilia, quae uocantur Greda. Habita igitur attentione ad fraudes has, et fallacias, non utor lapidibus istis cordialibus compositis, nisi certus sim, eosdem praeparatos esse a patribus Societatis de Goa. Ibi enim tantum elaborantur genuini, quia praeparatio eius est secreta, quam primum inuenit Caspar Antonius, quaeque post illius mortem peruenit ad Patrem Georgium Vngaretum, ac postmodum ad alios religiosos huius Societatis, qui omnes magni artifices sunt in arte pharmaceutica. Ab his dubiis atque scrupulis conscientiae meae ut me liberarem, in febribus malignis, atque uariolis, et ubicunque percipio

cipio anxietates cordis, ſemper adhibeo meum Bezoardicum, cuius uirtutes et effectus miraculoſi certe ſunt; non ſolum quia ego hoc ipſum uidi, et expertus ſum decurſu quinquaginta annorum, ſed etiam, quia hoc notum eſt in toto regno, et regionibus conquiſitis, unde accepi literas gratulatorias, quas ſeruo, ut illos conuincere queam, qui de ueritate huius rei dubitant.

Illi, qui cum Bezoardico meo cupiunt peragere curas, quae uidebuntur miraculoſae, attendere debent tria maxime neceſſaria. Primo Bezoardicum hoc ſit uere meum, et non fucatum, quale hoc tempore in aula, totoque regno et regionibus acquiſitis, uenditur ſub meo nomine ab iis, qui non dubitant decipere aegros in re tam graui, qualis eſt ſanitas, uendendo remedium adulteratum, ſub nomine ueri. Hi ſane perpetrant duplex furtum, alterum monetae, quae deberet reddi, alterum uitae, quae amiſſa reſtitui nequit. Altero loco notari debet, ut hoc Bezoardicum, ſi detur in puluere, exhibeatur pro doſi drachma ſemis: quodſi uero detur mixtum cum decocto Scorzonerae, et corticum citri, (uti ego ſoleo) dentur tres drachmae eius in quauis libra huius decocti, ita ut ſingulis octo horis aeger aſſumat potionis huius ſex uncias. Illi enim, qui medicamentum hoc in minori doſi exhibent, aut ſemel tantum de die, uti quorundam mos eſt, curas adeo inſignes non peragent. Debet autem continuari hoc remedium, ſingulis diebus bis aut ter exhibendo, quo maiores aeger ſentit anxietates, et ſymptomata maligna. Tertio tandem moneo, ut remedium hoc applicetur, quamprimum medicus perſpicit

ſignum aliquod febris malignae et pernicioſae, non expectando, donec aegri in agone conſtituti ſint, uti multi conſueuerunt: a quo dependent duo maxima damna. Primum horum eſt, quod aegri moriantur, quia illis nimis tarde ſuccurritur hoc remedio, per quod uita ſeruari ipſis potuiſſet, ſi in tempore datum fuiſſet. Alterum eſt, quod remedium diffametur, ac cognati demortuorum reddantur diffidentes, ut negligant idem in aliis caſibus, adhuc magis periculoſis, in quos incidunt.

LAPIS HYSTRICIS, PEDRA DE PORCO DICTVS, NATIVVS.

Eiusque uirtutes.

Lapis hyſtricis uerus eſt unum ex optimis antidotis, quae ex India ueniunt, uti docent partim effectus, quos edit, optimi, partim pretium, quo uenit, maximum, quoniam unusquisque horum lapidum, magnitudine oliuae mediocris, conſtat minimum centum mille reis.

Inter uirtutes, quas dictus lapis poſſidet, praecipua eſt, quod ſit egregium antidotum contra febres malignas, adeo, ut poſt Bezoardicum meum Curuianum, nullum aliud ſciam remedium, tantae utilitatis, quam illum lapidem. Signum, quo cognoſcimus, eundem eſſe uerum et genuinum, eſt, quando idem, immiſſus aquae per horae quadrantem, eam reddit extreme amaram;

ram; et quo magis aqua ab eo fit amara, tanto excellentior eſt lapis. Exhibentur illius infuſi, tria uel quatuor cochlearia pro doſi. Notandum autem, quod aqua, cum qua fit infuſio, debeat eſſe pura, nec infuſum hoc cum alia aqua miſceri. Solent quidem Chirurgi aliique imperitiores, per errorem, infuſum illud diluere affuſa noua aqua, ad moderandum eius calorem et amaritiem, cauſam interſerentes, lapidem, ob naturam ſuam calidam, talem temperaturam requirere. At illi miſeri, et in luce meridiana coecutientes homines, non aduertunt, quod ea proportione, qua deſtruunt amaritiem, debilitent atque tollant uirtutem huius infuſi. Inde autem fieri ſolet, ut, quum aegris uitam ſeruare, ac uim febris uincere potuiſſent, ſi infuſum hoc purum, integra uirtute et amaritie praeditum, exhibuiſſent, fruſtratos ſe ſentiant, aegrosque morte captos, dato dilutiore. Non ſane Medicis doctis, et experientia inſtructis, do iſta conſilia, ſed tantum tyronibus Medicinae, atque Chirurgis, qui Medicinam ſaepe faciunt ibi, ubi nullus haberi poteſt Medicus, ut et hominibus aliis leuioris conditionis, et principiorum medicorum expertibus, utpote qui, re tantum ſuperficialiter conſiderata, ſolliciti ſunt, ne, ſi exhibeant infuſum illud purum, et tota amaritie praeditum, aegros occidant, aut febrem augeant, eaque de cauſa illud temperant. Hoc ipſo tamen illi uirtutem infuſi tollunt, eodem prorſus modo, quo iſti, qui Chinchinae amarorem temperare ſtudent, eius efficaciam deſtruunt. Non obſcura enim eſt ratio, quare illis, qui utuntur Chinchina, aut aqua Britannica, adeo prohibita ſint dulcia, et acida. Quoniam enim Chinchinae uis et efficacia unice conſiſtit in

amaritie, patet, eos, qui hanc, addita magna copia dulcium et acidorum, temperare, aut tollere ſtudent, uirtutem eius ſimul imminuere, aut plane deſtruere. Dico autem, magna quantitate dulcia et acida addi non debere. Nam ſi paululum ſacchari, magnitudine oliuae, uel auellanae addatur, tanta certa damna concitare nequit, quam, ſi in tanta copia addatur, ut amarities Chinchinae totaliter deſtruatur, ac tollatur. Minor autem quantitas dulcium parum nocet, uti expertus ſum mille exemplis; adeoque illis aegris eorum uſum permitto, qui aſſueti ſunt, ut nihil bibant, niſi quod ſit ſaccharo edulcoratum. Videant eam in rem curioſi meam *Polyanth. edit. ſecund. Tract. II. fol. 627. num. 23.*

Non tamen hi tantum errant, qui temperant infuſum lapidis Porcini, ad imminuendam amaritiem, et naturam eius calidam corrigendam; ſed alium inſuper committunt errorem longe peiorem ii, qui, perterriti auſteritate huius infuſi, ob quam lapis porcinus naturae eſt calidioris, non audent dare plus, quam unicum cochleare eius infuſi pro doſi. Non attendunt illi, quod quantitas iſta exigua ſit remedium prorſus inſufficiens, ad uincendos morbos adeo exitioſos, quales ſunt febres malignae. Ego propterea nunquam propino minus, quam quatuor cochlearia huius infuſi, pro doſi; et noui plures, ad quos, febre maligna laborantes, uocatus ſum eo tempore, quo iam tum uncti, et in agone conſtituti fuerunt, quos, exhibitis tribus unciis huius infuſi, a morte liberaui.

Vnum eiusmodi caſum obſeruaui in domo Emanuelis de Caſtro Guimaraes, Secretarii in Camera marina. Alter caſus contigit, cum Donna Antonia

Mau-

Mauricia, Religiosa in diuae Clarae coenobio, ad quam, angina laborantem uocatus, interea, dum preces pro agonizante recitabantur, exhibere ei iussi quatuor cochlearia infusi lapidis porcini, misti cum unciis quinque mei Bezoardici, cuius beneficio illa feliciter mortem effugit, ac per gratiam DEI, et ope huius remedii, ad hunc usque diem uiuit. Non referam alia plura exempla curae felicissimae, cum hoc infuso, in maiori dosi dato, et cum Bezoardico meo permisto, ne lectori sim molestus. Hoc tantum dico, quod in febribus malignis et anxietatibus cordis, minimum tria cochlearia dicti infusi, sine omni temperatura, pro dosi exhiberi debeant.

In singultibus, siue dependeant a febre maligna, siue a flatibus, infusum hoc admirandos edit effectus; cuius rei innumera possem allegare exempla, nisi timerem prolixitatem.

In passionibus hystericis, infusum dicti lapidis adeo efficax est remedium, ut uideatur diuinum: id quod expertus sum aliquot casibus, quibus praesens fui, ubi tres eius unciae propinatae, admirandos ediderunt effectus.

In doloribus colicis, quos gentes Indiae uocant Mordexim, praesentaneam pariter opem praestat hoc infusum.

In doloribus et puncturis laterum, ortis a frigore, duae tantum unciae aquae Chamaemeli, in qua lapis porcinus, spatio sex Aue Maria comprehendente, infusus stetit, assumtae incantamenti instar operantur.

Vltimo tandem loco, si ullum reperiatur medicamentum, quod plura praebeat indicia efficaciae singu-

ſingularis, ad impugnandas et uincendas febres malignas idoneae, eſt certe nullum aliud, praeter lapidem porcinum et Bezoardicum meum Curuianum: quapropter ea omnia reliqua remedia, a uulgo alias maximopere aeſtimata, flocci naucique facio. Non uereor hoc profiteri, qui ſum Medicus, aetate ſeptuaginta nouem, et experientia quinquaginta annorum praeditus, qui beneficio iſtorum duorum remediorum, infinitos aegros a morte liberaui tales, qui ob febrem malignam, uel uenenum acceptum, uidebantur moribundi: uti curioſi hoc ipſum uidere poſſunt in *Polyanthea mea edit. ſecund. Fol. 654. ad 664.* quo loco inuenient nominatos illos, quos faucibus mortis eripui, ope duorum iſtorum remediorum, qui poſſunt ferre teſtimonium de ueritate mei aſſerti.

DENS HYSTRICIS, VEL PORCI SPINOSI Eiusque vires.

Praeparatus in Porphyrite, uel ſubtiliſſime pulueriſatus dens hyſtricis, magnae eſt uirtutis contra febres, colicam, ac dolores calculi. Eſt quoque inſigne antidotum; nec minus conducit in doloribus, et torminibus uentris.

LAPIS DE CANANOR, Eiusque uirtutes.

Lapis de Cananor ratione coloris, aut eſt uiridis, inſtar limi fluuiatilis, uel citrinus, inſtar ſulphuris: quorum uterque eſt bonus, ac Medicis uſualis; uiridis

uiridis tamen magis aeſtimatur. Ex unoquoque horum lapidum, aut ſola infuſione, aut praeparatione in puluerem ſubtiliſſimum cum aqua fontana, praeparatur aqua, quae uocatur aqua de Cananor, aut de lapide frigido. Vſum haec aqua in genere obtinet in omnibus febribus, tanquam egregium cordiale. Foret tamen haec aqua longe maioris uirtutis, ſi ante praeparationem dicti lapidis, in aqua, prius aurum obryzum candefactum in ea extingueretur. Ita confecta aqua, et per aliquot dies, ſingulo mane, ieiuno uentriculo aſſumta, excellens eſt remedium pro iis, qui ex hepate aegrotant, et qui de amaritie oris conqueruntur, utpote quae ordinarie dependet a magno feruore uiſcerum, et hepatis, aut ab abuſu dulcium, quae bilem generant.

Inſeruit pariter iſta aqua, omiſſa extinctione auri, in inflammationibus oculorum, loco epithematis; in faucium et oris uero inflammatione, gargariſmatis loco uſurpata. Doſis huius aquae eſt dimidius ſextarius, bis de die, aut in declinatione febrium, aut quacunque hora, ante paroxyſmum. Refrigerat illa egregie, et acrimoniam humorum infringit, uirtute quadam occulta abſorbente, et extinguit pariter feruorem hepatis et uiſcerum omnium, cum manifeſto aegrotantium leuamine.

Emulſiones ex amygdalis paratae, quae ad ſomnum conciliandum exhibentur illis, qui, aut ob exceſſiuum calorem febrilem, aut propter uapores cerebrum occupantes, dormire nequeunt, praeparentur cum dicta aqua de Cananor, terendo cum ea amygdalas. Tali enim emulſione aſſumta, ſtatim leuamen ſentient aegri. Eſt quoque haec aqua admirandi effectus, in curando

ictero, aſſumta per nouem dies, ieiuno uentriculo, miſcendo eidem liquorem albuminis oui recentis, bene conquaſſati.

LAPIS CANDAR, Eiusque uires.

Lapis Candar, uulgo uocatus Pedra quadrata, ſiquidem eſt genuinus, habet figuram cubicam, eſtque coloris ferrei, et admodum ponderoſus. Affertur ex confinibus Tartariae a Iudaeis, qui perhibent, eundem obtinere excellentes uirtutes, eaque de cauſa lapidem hunc, filo alligatum, de collo ſuſpendunt, et in pectore nudo gerunt.

Alligatur dictus lapis femori ſiniſtro nudo, ad facilitandum partum, quando mulier in ipſo partus termino uerſatur: quo caſu experientia docuit, eundem edere effectum deſideratum. Quodſi uero hoc non ſufficiat, infundunt lapidem, per dimidium horae quadrantem, in uncia una olei Gergelin calidi, illudque potui dant mulieri; quo facto in momento partum edet, ſecedent quoque ſecundinae et placenta, ſine ullo incommodo, aut periculo matris. Attendi tamen debet, ut, quamprimum mulier pepererit, ſecundinasque et placentam excluſerit, quantocyus remoueatur lapis, quoniam, ſi diutius relinqueretur, uterum, omniaque uiſcera extraheret e loco ſuo. Id ipſum ego uidi, et obſeruaui in muliere, in platea das Gaueas, quae, orificio uteri interno ſatis aperto, foetum tamen edere non poterat: cui proinde applicabatur hic lapis. Quoniam uero obliuiſcebantur eum remouere poſt partum, uterus

uterus e loco ſuo prodibat. Hoc uiſo, neceſſe erat, eundem applicare ſinui; quo facto, uterus retrahebatur. Quandoquidem uero mulieres quaedam adeo ſunt delicatae, ut abhorreant a remediis, per os ſumendis; ſufficit, ut cum oleo de Gergelin, cum quo lauatus eſt lapis, per horae quadrantem inungatur totum abdomen et regio umbilicalis, cum eadem cautela, ut, partu edito, detergatur optime hoc oleum.

Aqua cum hoc lapide infuſa, aut cum particula eiusdem pulueriſati permiſta, et per integrum menſem uſurpata, curat fluxum ſanguinis haemorrhoidalem, quantum copioſus et pertinax ille fuerit. Duo tamen in eius applicatione obſeruanda ueniunt: primo, ne aeger bibat uinum, nec edat cibos aromatibus conditos; ſecundo, ut aqua, in qua fit infuſio, coquatur antea cum manipulo foliorum polygoni, quae Botanicis audit herba Andorinha. Egregii uſus eſt in curanda uertigine, et deliquiis animi, ita tamen, ut ſtet in infuſo per duas horas, aut maceretur ſpatio uiginti Aue Maria, in unciis tribus aquae ceraſorum nigrorum, uel communis, quae primum leuiter ebulliat, cum drachma ſemis maioranae. Hoc infuſo ſi quis utatur per uiginti dies continuos, ſummum leuamen percipiet. Non minoris efficaciae eſt contra melancholiam, infuſum lapidis cum aqua borraginis, aut meliſſae, ad potandum datum.

Curat idem dolores capitis, ſi bibantur per aliquot dies, ſingulis mane, in ieiunio, duae unciae aquae cardui benedicti, ſpatio duarum horarum cum lapide infuſae. Habet iſte lapis efficaciam prodigioſam in dolori-

loribus lateris, colicis, et torminibus uentris, ut et in pleuritide, ſi infundatur, aut teratur idem cum quatuor unciis aquae deſtillatae chamaemeli, et aqua iſta potui detur illis, qui affliguntur quocunque iſtorum malorum. Nullatenus abhorrere debent Medici meticuloſi ab uſu huius aquae, propterea, quod credant, illam eſſe naturae calidioris. Euſtachius certe Rudius, praecipuus olim inter Medicos Paduanos, et Galenus, oraculum quondam Medicorum, laudant eandem, tanquam remedium infallibile, in pleuritide, aliisque inflammationibus internis, etiam ſine adiumento lapidis Candar: quanto autem excellentior debeat eſſe iſta aqua, uirtute huius lapidis impraegnata, ipſe iudices. *Vid. Galen. Lib. III. Simpl. medicament. 30. Euſtachius Lib. I. cap. 45. de pleuritide. fol. m. 173.*

In doloribus calculi, et difficultate urinae, hic lapis praeſtat effectus admirandos, hac tamen conditione, ut aeger primum aſſumat uomitorium ex aqua benedicta, aut tartaro emetico, et aliquoties eidem ſecetur uena in brachiis. Hac praeparatione peracta, infundatur lapis, per horae quadrantem, in quatuor unciis uini Rhenani, ſi haberi poſſit, uel eius loco in uino albo, addendo huic unciam unam ſucci citri. Quodſi tamen aeger hoc remedium in uino aſſumere nequeat, aſſumat illud in aqua communi, antea cum drachma ſemis radicis de butua, aut cum ſemine bardanae (aut eſteua) cocta. Si alligetur lapis umbilico, reſtituit inteſtina hernioſorum prolapſa in ſitum naturalem, non obſtante, quod ego commendem aliud remedium, experientia magis confirmatum, ad curan-

curandas hernias, quod reperitur *in libro obſeruationum mearum, Latine et Luſitanice ſcriptarum*, *Obſeru. XLI. pag. 252. et 253.*

Quando quis laborat ſanguine craſſo, aut coagulato, ob aliquam ſtagnationem, aut inflammationem, propinatum infuſum lapidis ſanguinem rurſus attenuat, eumque ad continuandam circulationem aptum reddit, imprimis ſi infuſio fiat cum ſex unciis aquae, coctae cum duabus drachmis radicis uincetoxici, aut cum foliis chaerefolii, addito ſcrupulo uno ſpermatis ceti.

Qui bibunt per ſex menſes cremorem aquae huius, leuiter coctae cum manipulo uno uerbaſci, in qua aqua poſt coctionem infuſus eſt lapis Candar, admirandos effectus percipient in ſtrumis (et bocios.)

Dictus lapis ſummam obtinet efficaciam in curanda melancholia, ſi infundatur cum aqua borraginis.

Illis quoque conducit lapis, qui ſanguinem meiunt, ſi ipſis dentur quinque unciae aquae deſtillatae (de tanchagem) cum lapide infuſae.

Magnum pariter eſt remedium contra Aſthma, infuſus in aqua florum omnium, in Maio deſtillata.

LAPIS E CAPITE SERPENTIS DE PATE, QVEM VVLGO VOCANT DE MOMBAÇA:

Eiusdem uirtutes et applicandi modus.

Iste lapis generatur in capite ſerpentum, qui uiuunt in ſyluis inſulae de Pate, multisque praeditus eſt uirtutibus, inter quas principatum tenet efficacia in facilitando partu, quando idem alligatur femori ſiniſtro, dum mulier in partu laborat, et, aperto orificio uteri interno, partus inſtat; quo caſu certe parturiens in momento partum edet. Monendum tamen hic pariter eſt, quod, quamprimum placenta et ſecundinae excluſae fuerint, ſtatim remoueri debeat lapis, quia alias uterum ipſum e loco ſuo extraheret.

Subtiliſſime pulueriſatus, huiusque pulueris ſcrupulus unus in tribus unciis uini albi, aut ſex unciis aquae, decoctae cum baſilico, (uel drachma ſeminis Carapetas das Eſteuas) datus, mitigat optime dolores calculi eumque expellit.

In ſuppreſſionibus urinae pertinaciſſimis curandis ſingularis eſt efficaciae; obſeruando tamen, ut, antequam idem exhibeatur, aeger citiſſime, primo ſtatim die, ſumat uomitorium, ex tribus unciis aquae benedictae, aut duobus ſcrupulis uitrioli albi, in forma pilularum, uel granis ſex tartari emetici.

Praeſtat quoque opem in doloribus colicis, ac febribus quibuscunque, nec non in morſu animalium uene-

uenenatorum, tam puluis eius intro ſumtus, quam ipſe lapis exterius uulneri applicatus.

Apprime conducit, cum uino, aut decocto ſeminis dauci Cretici aſſumtus, contra paſſiones hyſtericas. Tandem etiam iuuat contra omne genus contagii, atque ueneni, ſiue hoc per errorem, ſiue per malitiam asſumtum ſit, easdemque penitus obtinet uires, quae attribuuntur lapidi Bezoar genuino.

Cayetanus de Mella de Caſtro, quondam Indiae Vice-Rex, poſſidet talem lapidem rotundum, et ex ſquamis compoſitum, inſtar corticis pini. Fidem dat laudatus dominus Vice-Rex, eundem ad facilitandum partum praeſentaneae eſſe uirtutis; uti ipſe mille exemplis expertus eſt.

LAPIS SERPENTIS DE DIO, Eiusque uires.

Lapides hi non ſunt natiui, ſed factitii, et unica tantum eſt iſtius ciuitatis familia, quae notitiam ſecretam habet eosdem praeparandi, omnesque illos format, qui per orbem diſſeminantur.

Praecipuus horum lapidum uſus eſt, contra morſum uiperarum uenenatarum: quo caſu iſti applicantur uulneri, cum hac cautela, ut niſi uulnus fundat ſanguinem, idem inciſione facta dilatetur, ut lapis cohaereat, ac tamdiu ibi relinquatur, donec ſponte decidat.

Hoc facto, immergitur lapis lacti, aut aquae roſarum, cuius beneficio purificatur, et a ueneno liberatur:

tur: poſtea repetatur applicatio ipſius, donec idem non amplius cohaereat. Hoc enim facto, cura eſt abſoluta, ſignumque eſt infallibile, omne uenenum eſſe extractum.

Pariter lapis puluerifatus, et potui datus, conducit in doloribus colicis, et extrinſecus applicatus in uariolis, earum eruptionem et maturationem expeditam promouet. Non itaque fallit autor grauis, qui in febribus malignis, in quibus adſunt maculae, has iubet leuiter ſcarificare, ac uulnuſculis applicare dictos lapides. Gaudent enim hi lapides inſigni uirtute eliciendi uenenum, et malignitatem.

Vidi ego ipſe admirandos effectus, quos edidit hic lapis, appoſitus uulnuſculis, a morſu aranearum, aut quorumcunque animalium uenenatorum inductis, quoniam exſugit et extrahit e uulnere omne uenenum.

Eſt ſane res admiratione digna, quomodo diſcutiat idem inflammationes, a morſibus uenenatis excitatas, quam enormes etiam illae fuerint; idque ſine deiectione, aut euacuatione quadam manifeſta, nec per haemorrhagiam, nec per diarrhoeam, aut uomitum, aut ſudorem, nec per urinam, et tamen inflammatio per hoc remedium ſoluitur. Monendum interea eſt, ut, quamprimum lapis decidit, citiſſime immergatur lacti; quoniam, niſi hoc ſtatim fiat, uenenum intimius penetrat, lapidemque ſubito in fruſtula redigit.

Seruus Doctoris Franciſci Roballi Freyre, gramen pro pabulo muli falce reſecando, mordebatur a uipera quadam, naturae tam uenenatae, ut minori, quam horae ſpatio, brachium ipſius adeo enormi inflammatione afficeretur, ut neceſſe fuerit, manicam

ab

ab eo resecare, ad idem denudandum. Affligebatur autem homo miserrimus anxietatibus intolerabilibus, et animi deliquiis, donec applicaretur dictus lapis, cuius beneficio breui tempore detumescebat brachium, aegerque sanabatur. Pariter filia librarii cuiusdam, in platea noua habitantis, mordebatur ab aranea in facie, quae ita intumescebat, ut nemo eam cognoscere potuerit. Quoniam uero sciebant, me possidere hunc lapidem, rogarunt me, ut ipsum communicarem; quo imposito, paucis horis detumescebat facies, et aegra restituebatur. Eundem effectum huius lapidis saepissime uidi, in uariis morsibus aranearum.

LAPIS PAVZARI,
Eiusque qualitates.

Afferuntur hi lapides ex Babylonia, ubi generantur, suntque admodum rari. Pauzari significat (Liza) Color eorum et facies externa conuenit cum oliuis, saltem quod sint maiores.

Applicatus regioni lumborum efficacissime confert ad calculum confringendum, doloresque breui tempore sedandos. In suppressione alui imponitur regioni pubis. Magni aestimatur ab omnibus Asiae principibus.

CONCHA DE AYNAO,
Eiusque facultates.

In Aynao, Chinae prouincia, eiusque insula, propinqua urbi Macao, limus in maris fundo haeret,

qui eam obtinet qualitatem, ut conchae, quae in hunc limum descendunt, totaliter in lapidem durissimum conuertantur, et incrustentur, omnesque earum partes ita conglutinentur, ac si foret concretum aliquod, a natura efformatum. Eaque mutatio breuissimo contingit tempore, quoniam, quamprimum conchae in limum, in fundo haerentem, se conferunt, statim immobiles euadunt, id quod ad oculum patet tempore fluxus maris.

Massa illa, ex fundo littoris de Aynao, iisdem gaudet uirtutibus, ac conchae petrefactae. Attamen non totum littus conuertit conchas in lapides, sed tantum pars huius insulae, in qua uixit St. Franciscus Xauierius.

Tritus eiusmodi lapis, siue concha petrefacta, cum aceto uini, et applicatus saepius de die, discutit omnes inflammationes, cuiuscunque generis, itemque tumores duros, carnosos, atque hernias carnosas.

Drachma una conchae de Aynao, subtilissime puluerisata, ac cum sex unciis aquae mista, bis singulis diebus assumta, miraculi instar curat fluxum alui cruentum, et tormina uentris, si continuetur hoc remedium per quinque aut sex dies.

Porro drachma una istius conchae puluerisata, cum aqua rosarum et succo citri mista, conducit in omnibus febribus, cum difficili respiratione coniunctis. Eadem quantitas, in uino bono propinata, sistit diarrhoeas colliquatiuas.

Eadem dosis, in aqua destillata cerasorum nigrorum, aut in decocto Valerianae syluestris potui data, [illegible] magnae

magnae eſt uirtutis, in curandis affectibus epilepticis, continuando illud per plures dies, poſtquam aeger bene purgatus eſt.

Tritus cum aqua hic lapis, curat anginam, ſi collum extrinſecus cum hac miſtura inungatur, et aqua iſta, gargariſmatis loco, ſaepius de die uſurpetur.

Si cum aceto uini teratur idem, ac inungatur anthracibus, et apoſtematibus, admirandos edit effectus.

Praeparatus, et cum aqua datus, in febribus omnis generis, in principio et declinatione earum, eundem, et meliorem effectum praeſtat, quam lapis Bezoar. Tritus cum bono uino, in colica et mordexi miracula edit.

Puluis eius, cum aqua roſarum, aut communi permiſtus, et oculis inflammatis dolentibus inſtillatus, miraculoſe illos curat. Incolae iſtius inſulae, in qua inueniuntur lapides de Aynao, eodem utuntur in cura omnium morborum, idemque optatos plurimum effectus edit, experientia teſte.

DENS PISCIS (MVLHER) VIRGINIS, Eiusdemque uirtutes.

Conducit ad ſiſtendas haemorrhagias ſuperiores, pectori, et inferiores abdomini applicatus.

Alligatus brachio ſiniſtro nudo, confert in apoplexia, epilepſia, et uertigine.

COSTA PISCIS (MVLHER) VIRGINIS Eiusdemque uires.

Praeparata in aqua, et potui data, utilis eſt contra febres, et contra dolorem pleuriticum, nec non in puncturis, et ſtuporibus. Notandum autem eſt, quod, niſi uirgo fuerit piſcis, non obtineat illam uirtutem.

PRIAPVS, SEV GENITALE EQVI MARINI, Eiusque qualitates.

Drachma ſemis Priapi equi marini praeparati, miſta cum ſex unciis aquae communis, decoctae cum corticibus fabariae ſiccae, uel cum drachmis duabus radicis erucae marinae, aut cum pelliculis raphani, et potui data, prouocat multum urinam ſtagnantem.

Duo tamen obſeruanda circa uſum eius ueniunt: primo, ut aeger aſſumat ante omnia uomitorium ex ſex granis tartari emetici, aut duabus unciis aquae benedictae; deinde, uena ipſi ſecetur in brachio, altero die quater, et tertio die ter. Quibus circumſtantiis obſeruatis, certiſſime urina largiter profluet.

Idem quoque remedium ſtupendae efficaciae eſt contra pleuritidem, et fluxus alui cruentos, uti conſtat per innumera experimenta, hac conditione inſtituta, ut detur drachma ſemis dicti pulueris, in decocto papaueris, et contra diarrhoeas in decocto liquiritiae, repetendo eius uſum ter in die.

DENS

DENS EQVI MARINI,
Eiusque uſus.

Puluis ſubtiliſſimus huius dentis egregiae eſt uirtutis, contra ſuppreſſiones urinae, ita, ut detur pro doſi drachma una illius, miſta cum dimidio ſextario decocti radicis aſparagi, aut radicis ononidis, quae remora aratri uocatur, aut corticis uirgae aureae. Prodeſt etiam multum in febribus, eadem doſi miſtus cum ptiſana. Dens hic, geſtatus in nudo corpore, habet certam qualitatem occultam contra apoplexiam.

DENS ELEPHANTIS,
Eiusque utilitas.

Inſeruit hic dens contra omnes ſpecies febrium, contra dolores hypochondriorum, et dolores rheumaticos, terendo lapidem cum aqua roſarum, quae praeſtat prae communi, et applicando in forma maſſae, uel cataplaſmatis, parti affectae.

VNGVLA ALCIS, SEV MAGNAE BESTIAE,
Eiusque uirtutes.

Magna beſtia eſt animal, quod lingua Aethyopica Mauritanorum uocatur Nhumbo, et in lingua Luſita-

ſitanica idem eſt, ac animal formoſum. Conuenit ratione formae in omnibus perfecte cum equo; cauda eius pauciſſimis inſtructa eſt pilis: cutis uero fiſſa eſt, inſtar ungulae caprarum, in cuius ſuperficie ordinarie maculae, ad modum tigridum, apparent; quaedam tamen eorum, quae rariora ſunt, colorem caſtanearum pallidum referunt. Sola ungula pedis ſiniſtri eſt illa, quae gaudet uirtute quadam; reliquae, licet eiusdem animalis, nullius ſunt utilitatis. Saepiſſime exhibetur ungula, aut uenditur, utut eiusdem animalis, quae nullam tamen habet efficaciam. Attendendus enim eſt modus, ungulam hanc ſeparandi, ita, ut nec mediante igne, nec cum aqua feruente ſeparetur; alias perdit uirtutem.

Animal iſtud ſaepiſſime affligitur epilepſia, gaudetque inſtinctu illo, ut ſtatim, quando ſe affligi ſentit epilepſia, admoueat pedem ſiniſtrum auri; quo facto, mox tranſit uis mali.

Vngula magnae beſtiae propterea, geſtata in brachio ſiniſtro nudo, aut e collo ſuſpenſa in pectore, aut in digito manus ſiniſtrae, cincta auro, ita, ut ungula tangat cutem, prodeſt contra paroxyſmos epilepticos, et uertiginem, et apoplexiam. Praeparata, et cum aqua epota, proficua eſt contra uenena, et febres intermittentes.

In aſthmate detur ſcrupulus unus pulueris huius ungulae, miſtus cum portione aquae ceraſorum nigrorum: quia aſthma eſt affectus conuulſiuus pulmonis, et, uti dicit Helmontius: Aſthma eſt caducus pulmonis.

SPINA

SPINA DORSI SERPENTIS ZVCHI, VEL ZVICHI, Eiusque uirtutes.

In Angola generantur ſerpentes, quos incolae uocant Zuichi, ac ſi dicere uellent ſputatorios. Hi, quando ſe inſequentes uident illos, qui eos occidere uolunt, effundunt ex ore liquorem adeo tenuem et album, ut, in quamcunque partem cadat idem, eandem ſtatim reddat pallidiſſimam. In effuſione huius ſaliuae, ſerpens erigit collum, et contrahendo fauces, emittit ſaliuam in oculos illius, qui eum perſequitur; quae niſi cito abluatur cum lacte, penetrat uenenum hoc per oculos, ut homines occoecentur, ac ſaepius necentur.

Non obſtante tamen malignitate huius ſerpentis, inſtruxit DEVS eius ſpinam dorſi inſigni uirtute, qua eadem, de collo ſuſpenſa, et in nudo corpore geſtata, ſpatio unius anni exſiccat et curat ſtrumas.

Ad ſeparandam ſpinam dorſi huius ſerpentis, idem mortuus defoditur in terra, et, elapſis quindecim diebus, abraditur caro, quae facillime decidit, poſtea purificatur ſpina optime ab omni carne, exſiccatur, et ita conſeruatur. Illam ſpinam quando applicare uolumus cuidam, dicto morbo laboranti, aut doloribus faucium afflicto, alligatur ea filo aeneo, et e collo ſuſpenditur, loco collaris. Multos ego noui, qui uiderunt, et experti ſunt ſingularem efficaciam ſpinae huius, in praedictis morbis.

DEN-

DENTES DE ENGOLA, Eorumque uirtutes.

In Angola generatur animal, magnitudine porci, in cuius ore reperiuntur duo dentes fortes, inſtar dentium apri, longitudine palmi, paulo maiores, uel etiam minores. Puluis horum dentium ſingularis eſt uirtutis, ad infringendas febres malignas, adeo, ut non dubitem affirmare, eundem praeſtare lapide Bezoar uero. Conducit idem ad maturationem, et apertionem apoſtematum, et furunculorum, applicando eum iſtis tumoribus, in forma pulmenti, ter quaterque ſingulis diebus. Iuuat etiam optime eruptionem uariolarum, et morbillorum.

Gaudet enim copioſo ſale uolatili, adeoque eiusdem eſt efficaciae, cum dente apri, in pleuritide, hac conditione, ut ſingulis uicibus drachma ſemis pulueris eius, cum uncia una Lohoch papaueris puri, in dimidio ſextario decocti florum papaueris, aut corticis radicis bardanae, exhibeatur loco potionis. Experientia quinquaginta annorum edoctus, aſſerere poſſum, quod idem in Pleuritide optimum ſit remedium, ſi modo obſeruetur, ut ter uel quater quotidie exhibeatur, donec aeger leuamen ſentiat. In tractatu meo, Peculio inſcripto, reuelaui aliud egregium remedium contra pleuritidem, *cap. de Pleuritide.*

RADIX

RADIX DE MANICA, Eiusque uires.

Iſta radix permagni aeſtimatur, tam ideo, quia in ipſis mineris auri, in regno Manicae generatur, unde nomen accepit, quam praecipue ob admirandas, quibus gaudet, uirtutes.

Vſus huius radicis eſt in febribus, in quibus datur eiusdem bene pulueriſatae ſcrupulus unus, in ſex unciis ptiſanae. Exhibetur illa, ingruente horrore, eodem modo, ac aqua Britannica. Quodſi uero febres inuadant ſine horrore, datur eadem lege, in fine paroxyſmi, ad excitandum ſudorem.

Admirandum pariter eſt antidotum contra uenena, iisque efficaciter reſiſtit.

Opem fert in omni debilitate uentriculi, digeſtiones promouendo, et uomitus impediendo.

Reſoluit etiam flatus, a cauſa frigida oriundos.

Qui nauſea laborant, aſſumant eam, duabus horis ante prandium, quoniam roborat uentriculum, appetitum excitat, et ad uomitus ſiſtendos magnum eſt remedium.

In uulneribus recentibus teritur cum aqua, ut fiat linimentum, idque ſingulis uiginti quatuor horis applicatur, replendo cauitatem uulneris cum eo, et breui ſanabitur aeger.

Conducit pariter in ulceribus ſordidis, trita eodem modo, et ulceri applicata, loco unguenti, ſemel de die. Sic ſanabit breui tempore, adeo, ut non opus ſit alia cura, aut ullo alio remedio.

Aeque dicta Manica eſt egregium remedium, et antidotum efficaciſſimum contra herpetes, pulueriſata, et inſperſa ulceri; et applicatur quoque parti ſanae, quam herpes nondum attigit, ne ulterius ſerpat.

Prodeſt itidem contra colicam, quam Indi uocant *Xeringoſa*, praeparata ſuper lapidem, cum ſucco limonum, et cum clyſtere iniecta.

Egregium alexipharmacum eſt radix iſta, ſubtiliſſime pulueriſata, ac cum ſucco limonum propinata in potu.

Confert in malo de Loanda (ſtomacace, ſiue ſcorbuto oris) pulueriſata, et aqua diluta, ita, ut fiat linimentum, quo gigiuae ſaepius de die inungantur.

Eadem ratione pulueriſata, et in linimento denti dolenti, tam externae ſuperficiei, quam cauo eiusdem applicata, dolorem omnem tollit.

In doloribus aurium conducit, miſcendo eam cum aqua, et mediante cochleari argenteo, inſtillando tres, uel quatuor guttas huius miſturae, primum auri ſanae, ac poſtea dolenti.

Viri fide digni, qui in India fuerunt, affirmant, quod puluis huius radicis ſubtiliſſimus, cum ſufficienti quantitate aquae roſarum permiſtus, et in forma linimenti uertici et temporibus inunctus, ſiſtat optime dolores capitis.

Haemorrhagias ſiſtit, ſiue ſumatur ore, cum aqua deſtillata (de tanchagen) miſta, ſiue per clyſteres applicata.

Fuit quidam de uirtute huius radicis adeo perſuaſus, ut dicere conſueuerit, eiusdem puluerem ſubtiliſſimum, per plu es dies, ieiuno uentriculo, cum ſirupo hederae terreſtris, aut tuſſilaginis aſſumtum, infallibiliter

liter curare ulcera pulmonum. Cui utut totaliter fidem non habeam; tamen in phthiſi confirmata, et morti proxima, non dubitarem applicare hoc remedium, quoniam, niſi medelam afferat, damnum certe non faciet.

In uulneribus recentibus, ſanguinem fundentibus, inſpergendo puluerem eius ſubtiliſſimum labiis uulneris, idemque apertum ſeruando, eundem miraculoſum effectum edit, ac oleum auri.

Tandem radix de Manica eſt ſupremum remedium, contra uenena omnis generis. Obſeruandum tamen, magna opus eſſe circumſpectione, et cautione, ne ille, qui uſus eſt hac radice, aſſumat quodcunque oleum, aut acetum, quia eo ipſo infallibiliter conuertetur in uenenum praeſentaneum.

RADIX MATRIS DEI, Eiusque uirtutes.

Scrupulus unus huius radicis pulueriſatae, mixtus cum quatuor unciis aquae, decoctae cum cortice fabariae ſiccae, aut cum manipulo Chaerefolii, prouocat urinam ſuppreſſam. Inſeruit praeterea hic puluis in omnibus febribus, praecipue in illis, quarum paroxyſmi cum frigore ingruunt, datus bis de die. Contra dolores capitis fortes, linimentum ex puluere iſto, cum ſucco limonum miſto, factum, applicatur palpebris oculorum, et temporibus. Conducit etiam iſta radix in inflammatione pulmonis, qualis eſt peripneumonia, ut et contra quaſcunque inflammationes in-

 ternas

ternas. Eſt pariter dicta radix egregium cordiale, et reſiſtit ueneno febrium malignarum, morſibusque ſerpentum uenenatorum.

RADIX DE CYPO,
Eiusque uſus.

Iſta radix quam Luſitani uocant Cypo, gentes Americae appellant Picaquanha, quod idem eſt, ac ſi dicerent, Pica de Cao, ſeu roſtrum canis. Dantur duae eiusdem ſpecies, quarum altera craſſior, candidior, et fortior, altera uero tenuior, obſcurior, et operationis benignioris obſeruatur. Vtraque harum radicum tam admirandae eſt uirtutis, ad curandos fluxus alui cruentos, ut rariſſime effectu deſiderato fruſtrare ſinat. Prouocant hae radices uomitum; alba tamen uiolentius operatur. Poteſt autem impediri, quo minus uomitum excitent, ſi infundantur in aceto uini forti, per uiginti quatuor horas. Quantitas, qua dantur iſtae radices, eſt a ſcrupulis duobus, ad drachmam unam, aſſumta in iuſculo gallinaceo, idque repetatur quatuor, uel ſex diebus.

RADIX DE SOLOR,
Eiusque uires.

Iſta radix non minoris, ac aliae hactenus expoſitae, habetur pretii. Vſurpatur eadem contra omnes febrium et puncturarum ſpecies, contra uenena, et dolores

lores nephriticos. Inferuit quoque ad abftergendam linguam, pituita obductam, et ad excitandum appetitum, quando quis laborat naufea, mafticando illam, et refiduum exfpuendo.

RADIX DE CALVMBA, Eiusque qualitates.

Radix haec ufurpatur in quibuscunque febribus, terendo eam cum aqua, per horae quadrantem, et exhibendo huius mifturae fextarium, mane et uefperi. Contra horrores febrium, teritur eadem cum fucco limonum.

Vtilis quoque eft contra mordechim, et dolores colicos, atque contra prauas digeftiones uentriculi. Hae fi dependent a caufa frigida, detur radix in uino; fin uero a calore, exhibeatur in aqua, mane, ieiuno tempore, aut quauis hora, qua neceffitas id poftulat.

In urinae fuppreffione, aut obftructione alui pertinaciffima, remedium hoc admirandos edit effectus, obferuando faltem, ut aeger prius affumat unum aut duo uomitoria, ex fex granis tartari emetici, aut drachma femis uitrioli albi, aut unciis duabus aquae benedictae, ac poftea uena in brachio ipfi fecetur octies. Exhibetur puluis eius hoc cafu cum decocto corticum fabariae ficcae, aut radicis afparagi.

In diarrhoea teratur radix cum fucco limonum, et, affufa aqua, pro diluitione, fiat linimentum, quo inungitur abdomen, mane et uefperi.

Mulieribus in partu difficili laborantibus, morti proximis, data illa radix in uino, foetum etiam mortuum efficaciter pellit.

Prodeſt itidem contra morſum animalium quorumcunque uenenatorum, trita cum aqua. Si uero tempus triturationem non permittat, maſticetur particula huius radicis, ſuccusque deglutiatur, et reſiduum uulneri imponatur, et, ſi uenenum foret penetrantisſime, detur radix cuidam pro maſticatione, et detentione in ore.

Inſeruit contra omnia uenena, in cibo uel potu aſſumta radix cum aqua trita; uel, ſi tempus trituram non permittat, maſticetur, et extrahatur ſuccus, ac reſiduum exſpuatur.

Si quis aſſumſerit *Anſiao* miſtum cum aceto, quo pacto *Anſiao* conuertitur in uenenum potentiſſimum, unicum in eo remedium eſt poſitum, ut aegro detur pauxillum pulueris huius radicis, cum aqua miſti. Pariter hic puluis ſingularis uſus eſt, pro frictione dentium.

Anſiao idem eſt, ac Opium, referentibus Doctore Franciſco Roballo Freyre, qui praecipuus Medicus fuit in India, et D. Raphael Bluteau, *Tom. I.* Vocabularii ſui Luſitanici et Latini. fol. 373. col. 1.

Eodem modo uſurpatur contra lichenes, praemiſſo balneo.

Ad prouocandum menſium fluxum maxime conducit, ſi foemina, quae ſuppreſſione eius laborat, per octo dies, ieiuno uentriculo, aſſumat uncias quatuor aquae, decoctae cum drachma ſemis huius radicis pulueriſatae.

In

In dolore dentium immittatur particula huius radicis cauitati dentis cariosi, quae cito dolorem tollet. In erysipelate teritur cum succo limonum, et cum hac mistura inungitur locus dolens et inflammatus. Febre absente, potest etiam bibi cum aqua.

Trita cum succo limonum, inseruit pro inunctione, illis, qui apoplexia corripiuntur.

Qui flatulentia laborant, bibant illam, tritam cum uino; si uero adsit calor, cum aqua. In tertianis et quartanis adeo rebellibus, ut quinquina nihil efficiat, haec radix admirandos effectus praestat, si quinque aut sex diebus assumatur.

SERPENTARIA VIRGINIANA, Eiusque uires.

Ista herba non prouenit in India orientali, sed reperitur in India Hispanica, estque egregium antidotum contra uenena, et alexipharmacum, in febribus malignis, et succurrit omnibus morbis uenenosis. Stupenda uirtute gaudet haec radix, summumque remedium constituit, cui par non datur, ad uincendum uenenum lethiferum morsus serpentis de Cascauel, quem Angli uocant Rattle Inakes.

RADIX DE SAPVCHE, Eiusque qualitates.

Haec pariter radix magni aestimatur, et summum est antidotum, quod unquam inuentum fuit, contra mor-

morſus ſerpentum. Quamprimum naſcitur haec planta, ſerpentes, inſtinctu quodam naturali, ſolent folia rodere, ne illa cognoſci queat; at eo ipſo uirtus huius plantae innotuit. Alligata brachio nudo, et geſtata, reddit unumquemque liberum, quo minus tangatur, aut laedatur ab animali uenenato, quamuis etiam ſub arboribus dormiuerit.

Excellentiſſimum effectum edit, contra morſus uiperarum non minus, quam contra reliqua uenena, Trita cum aqua, et potui data, curat cardialgias; et matutino tempore, ieiuno uentriculo, aſſumta, aperit omnes obſtructiones, atque circulationem ſanguinis promouet.

RADIX IOHANNIS LOPES PINHEYRO, Eiusque uirtutes.

Praeparata, et in aqua potui data, curat febres, conducit etiam uulneribus recentibus, cum haemorrhagia coniunctis, eadem aperta ſeruando, ut et fracturis recentibus, inſpergendo illis puluerem huius radicis.

Curat optime dolores lateris, trita, et cum uino miſta, ac in forma linimenti loco dolenti inuncta.

Puluis eiusdem, aſſumtus in aqua, diſcutit oppilationes uiſcerum, et obſtructiones uentriculi.

Cum aqua praeparata, et pro collutione oris ſaepius uſurpata, ſiſtit dolores dentium. Miraculi inſtar curat illos, qui a uipera quadam demorſi ſunt, quarum quaedam in India adeo uenenoſae reperiuntur,

tur,

tur, ut, poſt inflictam plagam, demorſi ſtatim in terram concidant, animique deliquiis afficiantur, ita, ut nec reſpirent, nec ſe moueant, nec ullam aliquam uiuentis actionem monſtrent. Vnicum autem remedium, et ſpes uitae conſiſtit in eo, ut leuiter uulneretur uertex capitis, mediante lanceola, uel acu, donec effluat ſanguis, ac uulnuſculo applicetur pauxillum huius pulueris, quo facto, in momento aeger reſpirabit, et ab omni periculo immunis manebit.

RADIX DE BVTVA, Eiusque uirtutes.

Haec radix nomen accepit a regno Butua, ubi prouenit. Vocatur ita a gente, iuxta fluuium de Sena habitante: Luſitanis tam Pareyra braua, quam radix de Butua audit.

Puluis huius radicis, cum aqua permiſtus, et potui datus, illis, qui apoſtema, uel abſceſſum quendam internum fouent, egregie conducit; Nam, ſi apoſtema, aut abſceſſus talis ſit recens, et in principio, illum reſoluet, et in paucis diebus diſcutiet; quodſi uero ſit antiquus, et iam tum materiam contineat, eiusdem apertionem, et rupturam promouebit, omnemque materiam expellet, aut per locum affectum, aut per ſputum, aut per aluum, aut per urinam.

Applicatur etiam puluis huius radicis, cum aceto uini permiſtus, in forma cataplaſmatis, apoſtematibus et abſceſſibus externis, quos reſoluit, et diſcutit, ſi continuetur hoc remedium ſeptem, uel octo diebus. Ob-

F ſeruaui

ſeruaui hoc ſaepius, praecipue in coniuge Emmanuelis de Aranio, prope Igreia de Annunciada habitantis. Foemina illa affligebatur tumore pedis adeo enormi, et deformi, ut, eandem mortem effugere poſſe, nemo crediderit; adhibito autem linimento, ex radice hac praeparato, intra ſeptem dies ſanabatur, ſine ullo alio remedio.

Opem etiam praeſtat in pleuritide puluis radicis huius, cum decocto papaueris, uel hordei calido exhibitus. Inungitur quoque, et fricatur locus dolens cum linimento, ex hac radice facto, quoniam reſoluit, et diſcutit ſanguinem, qui propter craſſitiem, et uiſciditatem non poteſt circulari, ſtagnando aceſcit, ac, propter aciditatem, dolorem punctorium in pleuritide excitat.

Contra ictus et lapſus, datur in potu drachma ſemis huius pulueris, miſti cum decocto radicis tormentillae, quae uulgo uocatur ſolda, ſeu conſolidans, aut pentaphylli, inungendo praeterea per aliquot dies locum dolentem cum linimeuto huius radicis.

Prodeſt item in Angina, et ſtrangulatione faucium, decoctum eius potui datum, et gargariſmatis loco uſurpatum, nec non linimentum ex ea, collo inunctum.

Idem decoctum, potui datum, pellit ſecundinas partumque facilitat, et molas ſine moleſtia expellit.

Linimentum, ex radice hac praeparatum, omnis generis tumoribus per octo dies illitum, eosdem diſcutit.

In eryſipelate opem fert radix, ſi bene coquatur in aqua ſimplici, et ſaepius de die lintea complicata, decocto

cocto immerſa imponantur eidem, ita tamen, ut lintea non exſiccentur.

Inſeruit in omnibus ulceribus et inflammationibus hepatis, coquendo eam in aqua communi, et cum decocto hoc locum dolentem ſaepius lauando. Scindatur autem radix ante coctionem in particulas minutas, et maceretur aliquantiſper, ut tanto magis egregias ſuas uirtutes largiatur aquae, cum qua coquitur.

Curat pariter decoctum hoc calidum, cum linteis imbutis ſaepius in die loco affecto applicatum, hernias uentoſas, aquoſas, et carnoſas: cito enim mitigat dolorem, et inflammationem. Confiteor, eam radicem ſingularis efficaciae eſſe in curandis herniis. At enimuero ſummum, quod cognitum fuit, a quo DEVS creauit mundum, remedium contra hernias, eſt oleum genuinum cinamomi, de quo teſtimonium ferre poterit Doctor Matthias Mendes, auditor Alfandegae. Non minus efficax remedium contra rupturas eſt oleum e gemmis ouorum, de quo afferre poſſem plurima exempla.

Conducit decoctum radicis in doloribus dentium, in ore detentum, aut puluis radicis ipſius, cum aqua Reginae Hungariae miſtus, et cauitati dentis impoſitus, cuius admirandos effectus uidi.

In doloribus capitis, et hemicrania, miſcetur radix pulueriſata cum aqua roſarum aut myrtina, ac cataplaſma hoc capiti uniuerſo, ab una aure, ad alteram usque, applicatur.

Decoctum eius, potui datum, et linimentum ex eo factum, abdomini inunctum, curat colicam, et tormina uentris, a flatibus, aut cauſa frigida oriunda.

Diſcutit pariter inflationes lienis, et abdominis, ſi aſſumatur ſcrupulus unus pulueris eius ſubtiliſſimi, cum unciis duabus uini boni albi, aqua diluti, aſſumendo hoc remedium per uiginti dies, tempore matutino, et corpus, aſſumto remedio, mouendo, ſi uires aegri id ipſum permittant.

Opem fert in diarrhoeis, praecipue cruentis, puluis eius, aſſumtus in aqua deſtillata (tanchagem) aut in decocto liquiritiae, uſurpando hoc remedium per quinque uel ſex dies continuos mane et ueſperi. Ludouicus Serrão Pimentel, Coſmographus regni, de uirtute huius rei teſtimonium exhibere poteſt, utpote qui ſanatus eſt cum puluere huius radicis a diarrhoea, qua ſine omni ſpe auxilii humani decumbebat. Eundem effectum admirandum uidi in foemina, quae degit Boauiſtae in platea Poço das taboas uocata. Affligebatur haec diarrhoea adeo frequenti, et inueterata, ut ſuſpicio adeſſet, ipſi propinatum eſſe philtrum, quod illam lente conſumeret. Demum, poſt mille remedia fruſtranea, uſurpando hanc radicem per ſex dies, miraculi inſtar ſanabatur.

In cardialgia, et ſapore oris auſtero, bibatur decoctum huius radicis, cum aqua factum, et regio uentriculi linimento, e puluere radicis cum urina aegri parato, inungatur.

Inſeruit eadem contra caruncula, in meatu urinario, ſi aqua, cum radice infuſa, bibatur per plures dies, et in urethram iniiciatur frequenter cum ſyringa.

Vtilis etiam eſt in omnibus ſuppreſſionibus urinae, potui data in aqua, leuiter cum eadem cocta. Notandum autem, antequam hoc decoctum exhibeatur, ne-

ceſſe

cesse esse, ut aeger primo die assumat uomitorium ex tribus unciis aquae benedictae, aut sex granis tartari emetici; duobus uero diebus insequentibus sexies ipsi uena secetur, ac quarto demum die incipiat idem usurpare decoctum. Cognoscent omnes, quantum mihi debeant pro hoc, quod ipsis dedi, consilio.

Curat fluorem album, utcunque coloratum, si mane et uesperi assumantur sex unciae huius infusi cum aqua, per triginta dies, ieiuno uentriculo, singulisque dosibus admisceantur grana duodecim radicis, subtilissime puluerisatae. De ueritate huius rei testari potest tota domus Domini de Aquas bellas, quoniam eiusdem ancilla, per nouem annos hoc fluxu, nulli remedio obediente, laborauit, tandemque usu huius radicis conualuit.

Aqua huius radicis, uiginti diebus ieiuno uentriculo assumta, prouocat fluxum menstruum in mulieribus, quae, ob defectum huius euacuationis, mille symptomata experiuntur. Opus autem est, ut, post assumtum hoc remedium, instituatur per horam motus corporis.

In anxietatibus, et flatibus melancholicis, conducit pariter aqua huius radicis.

Prodest eadem contra fistulas, inungendo illas cum linimento, ex hac radice parato.

Curat uulnera recentia puluis subtilissimus radicis huius, ipsis inspersus.

In tumore faucium, et angina, inungatur totum collum cum linimento, ex radice Butua puluerisata, cum aceto uini mista, parato.

Decoctum huius radicis curat lichenes, et furunculos, lauando corpus cum eodem uesperi, per plures dies.

Inseruit loco Bezoardici mei, ad resistendum uenenis omnis generis. Est enim egregium remedium contra tumores pestilentiales, siue bubones, si nimirum decoctum potui detur, et pars affecta cum linimento huius radicis inungatur.

Vtilissimum est remedium in morsu canis rabidi, et uiperarum uenenatarum, bibendo infusum eius, et inungendo plagam acceptam cum linimento illo.

Doctor Franciscus Roballus Freyrius, Eques professus ordinis de Santiago, Medicus quondam Indiae, affirmat, se foeminae, tumore seroso in regione uteri laboranti, quo sanari non poterat longo temporis interuallo, exhibuisse per tres dies continuos decoctum radicis Butua, a cuius usu, rupto apostemate, magnaque materiae copia euacuata, breui conualuerit.

RADIX DIVINA, Eiusque uirtutes.

Prouenit haec radix in Lusitania, in loco quodam uicino Setubaliae, qui uocatur Troya. Non noui ullum autorem, qui de eadem quicquam scripserit; attamen effectus optimi, in quibusdam morbis ab ipsius usu obseruati, certa praebent indicia uirtutum singularium, in ea latentium. Inclinat uero haec radix ad naturam calidam, quapropter eadem non debet fortius coqui, sed moderato tantum colore, ita, ut cum duobus

bus ſextariis aquae ebulliat drachma una dictae radicis, leuiter conciſae. Deoppilat multum uaſa obſtructa, prouocatque fluxum menſium, ac prodeſt in intumeſcentia abdominis mulierum, quae mentitur hydropem, Nullus dubito, eam longe plures obtinere uirtutes, quae temporis ſucceſſu manifeſtabuntur. In praeſenti tamen mentionem tantum facio eorum, de quibus iamtum experimenta conſtant. Vocatur radix diuina, ob ſingularem utilitatem.

COAGVLVM LEONIS, Eiusque uirtutes.

Quemadmodum in uentriculo uaccarum quarundam generatur Maſſa, magnitudine mali aurantiorum exigui: ita in uentriculo quorundam leonum reperitur globus, ſiue concretum, magnitudine oui. Infuſum huiusmodi globi, cum aqua aut uino paratum, uel etiam pauxillum pulueris iſtius, mulieribus in partu difficili datum, partum in momento cum ſecundinis pellit, prouocatque pariter efficaciſſime fluxum menſium.

COAGVLVM ELEPHANTIS, Eiusque utilitas.

In uentriculis elephantum annoſiorum ſaepius reperiuntur maſſae, aut globi, magnitudine oui gallinacei, qui lapis, aut potius coagulum non minoris eſt efficaciae, quam excellentiſſimus Bezoar, quem India nobis

nobis dare poteſt. Diſsimulari non debet, eundem inſignem habere amaritiem; at ea ipſa eſt ſignum bonitatis. Doſis eius, qua propinatur, eſt ſcrupulus ſemis, ad grana ſedecim, miſtus cum unciis quatuor aquae cardui benedicti, uel papaueris; quo aſſumto, aeger diſponat ſe ad ſudorem. Probatiſſimum eſt remedium in torminibus uentris, febribus, doloribus hypochondriorum, et hepatis obſtructionibus.

OLEVM ELEPHANTIS, Eiusque uires.

Oſſa artuum elephantis, carne ſeparata, cum oſsibus maxillae ſuſpenduntur, et ſoli exponuntur, ex quibus oſsibus admodum ſpongioſis, deſtillationi expoſitis, praeparatur oleum, quod uaſe uitreo puro, bene obturato, aſſeruatum, habetur pro remedio ſpecifico, admirandae uirtutis contra aſthma, et uitia reſpirationis. Applicatur pectori calide, cum blanda frictione, per tempus uiginti Aue Maria, quoniam hac ratione melius operatur. Pariter cum frictione forti applicatum cuique parti, dolenti ex cauſa frigida, optime conducit: obſeruando ſaltem, ut in applicatione huius olei caueatur ab aere frigido.

SERPENS DE CASCAVEL, Eiusque qualitates.

In terris Braſiliae generatur ſerpens admodum uenenatus, qui mordendo, in quacunque corporis parte,

te, communicat repente ſangvini uirus tam peſtiferum, ut idem reſolutum exitum quaerat cum tali vehementia, ut erumpat per aures, per os, nares, oculos, ac urethram, usque dum demorſus, uiribus exhauſtis, moriatur. Vocatur iſte ſerpens in illis regionibus Xenninga, ab Anglis vero Rattle Snakes. Gerit idem in capite nolam a natura generatam, ob quam ſonum edit, qui e longinquo perceptus, hominibus tempus aufugiendi praebet. Aſſerunt incolae huius regionis, quod tintinnabulum illud, in collo geſtatum, praeſeruet ab epilepſia, et vertigine. Remedium, cuius beneficio demorſi a ſerpente hoc venenoſiſſimo a morte praeſeruantur, eſt drachma una pulveris unicornu auis, Inhume, aut Anhume uocatæ, aut eadem doſis radicis ſerpentariae Virginianae aſſumta. Loco horum remediorum exhiberi etiam poteſt paululum ſtercoris humani recenter excreti; neque enim alio remedio cedit hoc uenenum.

COAGVLVM VACCAE,
Eiusque uires.

In uentriculo quarundam uaccarum generantur globi rotundi, magnitudine malorum aurantiorum, coloris fuſci, leuiſſimi, et intrinſecus ex fibroſis capillamentis concreti. Eiusmodi globus aut coagulum cum aqua teritur, donec fiat pulmentum, quod per aliquot dies diarrhoea laborantibus propinatum, eosdem multum ſolatur.

CALCVLVS IN FELLE VACCARVM GENERATVS,

Eiusque uirtutes.

In felle quarundam uaccarum generantur calculi, crocum amaritie sua aemulantes, qui egregiae sunt efficaciae, in curando ictero, ita, ut praemissa euacuatione, aeger assumat scrupulum unum huius calculi puluersati, per quindecim dies, ieiuno uentriculo, cum sex unciis decocti foliorum mori, aut radicis graminis. Possideo ego in domo mea remedium adeo efficax ad curandum icterum, ut per quinquaginta annos medicinam facienti, infallibilius non obuenerit. Hoc ipsum uero ideo mihi seruo, ut pharmacopoeis non adeo scrupulosis occasionem praecidam, ne uendant illud remedium, praetexentes, me idem ipsis reuelasse, ut plurimi hoc tempore faciunt, qui dicere non erubescunt, me ipsis patefecisse compositionem mei Bezoardici, ac aliorum remediorum, mea industria inuentorum; quorum compositionem atque ingredientia tamen illi nullatenus norunt. Confidenter affirmo, rara esse illa pharmacopolia, in quibus dispensatur Bezoardicum meum Curuianum, aliaque plura mea arcana, quoniam damna et noxas timeo, quae euenire possent, si adulterata uenderentur pro genuinis; eaque de causa nolo illis concedere dicta medicamenta.

CORTEX DE LARGIS.

Arbor, quae audit Largis, est exigua, instar persici, gaudens foliis crispis, et in confinibus Persiae atque Turciae crescens. Sunt autem tales arbores paucissimae, et rarissimae. Prae-

Praecipuam uirtutem obtinet eiusdem cortex contra icterum, gestatus in pectore nudo. Neque enim decoctus aut puluerisatus in aqua assumi debet, uti hactenus introductum est. Ex cortice arboris Largis, cum radice absynthii, et passulis, fit sirupus stupendae efficaciae, contra icterum, uti uidere licet *in Polyantbea mea, edit. alter. Tract. II. cap. 64. fol. 409. num. 13.* Hic sirupus, quem ingreditur Largis, idem praestat in curatione icteri, quod Chinchina in intermittentibus, et Sarsaparilla atque Guaiacum in lue Venerea. Modum praeparandi hunc sirupum contra icterum, et dosin eius, inuenire possunt curiosi, l. c. in mea Polyanthea.

CORTEX SERPENTINVS, Eiusque usus.

Hic cortex lingua nationis uocatur Dangya Catenga, aliis audit Catubia, Lusitani uero nomen ipsi dederunt Cortex serpentinus, quia est remedium prae omnibus efficacissimum, contra morsum serpentum maxime uenenatorum.

Comminutus hic cortex, aut subtilissime puluerisatus, conducit in grauioribus febribus, si potui detur in aqua, corpusque inungatur cum linimento, ex eo parato. Inseruit præterea contra quemcunque dolorem, siue a calore, siue a frigore, siue inflammatione aut podagra inductum, inungendo cum hoc linimento partem dolentem.

Perhibent incolæ harum terrarum, radicem istam colligi debere decrescente luna, ita quidem, ut accipiatur tantum radix, quae uersus orientem situm obtinet,

quod illa, quae occidentem reſpicit, nullam habeat uirtutem, imo, uti aiunt, potius noceat.

Pulueris huius radicis poteſt dari drachma ſemis, cum aqua permixta.

Applicatur non tantum exterius loco dolenti, ſed aeque bene intro aſſumitur.

In tumore pedum linimentum, ex eo factum, ſingularis eſt utilitatis.

Puluis eiusdem, mixtus cum decocto herbae anagallidis, quam nos uocamus Marugem, aut cum ſpiritu uini camphorato; eryſipelati applicatus, idem incantamenti inſtar curat; ſed applicetur humide, nec debet exſiccari.

In paralyſi dari poteſt potui in aqua, et quoque inungi ſaepius in die pars paralytica, cum eius linimento.

In Cardialgiis admirandos praeſtat effectus radix, tam in potu data, quam extrinſecus inuncta. Ægrum uidi deſperata cardialgia laborantem, cui commendabatur inunctio, cum linimento ex hac radice facto; et quoniam aeger ipſe manu agitabat hoc linimentum pro inunctione, et loco dolenti applicabat, factum eſt, ut non tantum ceſſaret cardialgia, ſed etiam chiragra, quo tunc idem afficiebatur, euaneſceret, nunquam poſt illud tempus rediens.

In uulneribus, puluis illius admirandam opem fert, ſi iisdem inſpergatur. Conducit non minus in paſſionibus hyſtericis idem puluis, in potu datus, et pectini inunctum linimentum ex eo paratum. Expellit quoque e renibus ſabulum.

CORTEX QVIRIATO,
Eiusque uires.

Subtilissime puluerisatus, et in aqua potus hic cortex, egregium antidotum præbet contra uenena, aut morsus uenenatos.

RADIX DE MONGVZ,
Eiusque uirtutes.

Radix hæc nomen accepit ab animalculo, quod habet formam et magnitudinem sciuri. Solet hoc animalculum praeliari cum serpentibus, et quamprimum se sentit sauciatum, dimittit certamen, et uadit ad comedendum hanc radicem, qua masticata, redit ad prælium, atque ita se curat ac defendit a morsu serpentis, donec illum occidat; animal uero Monguz, beneficio huius radicis, uitam saluam retinet.

Radix propterea puluerisata, et cum aqua pota, aut plagae applicata, curat omnia uulnera, a uiperis uenenatis inflicta. Eadem forma, exigua dosi assumta, prodest contra omnia reliqua uenenorum genera, nec minus contra febres, ac dolores nephriticos. Longe felicius autem in Nephritide operationem suam perficiet, si bibatur, assumto prius uomitorio, ex tribus unciis aquae benedictae, aut sex granis tartari emetici.

Ita brachio nudo tantum alligata, inseruit loco defensiui, a morsu uiperarum uenenatarum. Pariter cum aceto sine sale præparata, curat inflammationes, et pustulas capitis.

COCVS DE MALDIVA, Eiusque qualitates.

Nascitur hic Cocus figurae oualis, in fundo maris, in arbore duorum pedum alta. Cortex eius exterior est nigricans; nucleus vero interior, pellicula fusca obductus, albicans, aeque ac Cocus esculentus, aut coloris ex albo ad fuscum uergentis. Ex cortice duriori formantur pocula, forma nauiculae, pede ac manubriis argenteis instructa, ideo, quoniam pro summo habetur antidoto contra uenena. Mauritani, et gentes Asiae illos cocos tanti aestimant, ut uncia una eiusdem apud eos plus duplo ualeat, quam lapis Bezoar.

Conducit hic cocus praeparatus, et cum aqua assumtus contra omnia uenena, contra febres, contra flatulentiam, melancholiam, et obstructiones, estque admirandum cordiale in uariolis.

Gaudet singulari uirtute, absorbendi humores uenenatos, circulumque sanguinis promouendi, ac singulares quoque edit effectus, in febribus malignis, atque pleuriticis.

COCVS MINOR DE MELINDE, AVT MACOMA, Eiusque utilitas.

Est fructus arboris, quae Macomeyra audit, circumdatus cortice durissimo, qui frangi nequit, nisi mediandian-

diante ſerra. Idem extrinſecus eſt uilloſus, interius uero nucleum continet, uti cocus eſculentus.

Vſurpatur in potu, cum aqua, contra inflationes abdominis, eademque forma conducit, tam in flatibus diſcutiendis, quam in infringenda cholera, ac uentriculo debili confortando.

RADIX MILLEHOMINVM, Eiusque utilitas.

Prouenit haec radix in centro Braſiliae, et uſurpatur contra omnes uenenorum ſpecies, ſigillatim uiperarum, puluis radicis, in potu aſſumtus, et plagae ipſi impoſitus.

Inſeruit eadem ratione praeparata, et in aqua potui data, contra febres malignas, itemque contra inflammationes hepatis et lienis. Non minus puluis eius, ulceribus gangraenoſis inſperſus, excellentiſſimum eſt remedium ad ea curanda. Ita etiam applicata illa radix cuicunque corporis parti, praeſeruat a gangraena. Vſus eius eſt in omnibus morbis, uirtusque ipſius uniuerſalis effecit, ut ipſi datum ſit nomen, mille hominum.

Exhibitus puluis huius radicis in ſpiritu uini, praeſentaneam opem fert in doloribus colicis, excitat uomitum, ob eamque cauſam multos morbos curat feliciſſime.

RADIX DE TAMBVAPE, Eiusque qualitates.

Naſcitur in Bahia, magnaeque eſt efficaciae contra uenena. Praeparata, et in aqua pota, prodeſt contra cardialgiam, et lumbricos.

BATA-

BATATAS CAMPI,
Earumque utilitas.

Istae Batatas non inueniuntur, nisi in meditullio Brasiliae, ubi quoque generantur Tambuape, et Milhomens, ac ideo sunt admodum rarae.

Vires alias nullas obtinent, quam quod praebeant exquisitissimum antidotum contra uenena, et contra morsus uiperarum uenenatarum, assumtae in aqua praeparatae, et uulneri quoque extrinsecus impositae.

FABA DE MELINDE,
Eiusque uirtutes.

In aqua aut uino praeparata, et potui data, est excellens remedium contra mordexim, et cardialgiam, atque tormina uentris. Vsurpatur etiam contra flatulentiam, et quartanas.

RADIX DE QVEIIO,
Eiusque usus.

Est haec radix naturae admodum calidae; adeoque usus eius praecipue est in morbis, a causa frigida oriundis. Puluerisatur ea subtilissime, aut teritur in marmore cum succo limonum Galliciae, aut cum alio, ita, ut fiat liniimentum fluidissimum, cuius quinque uel sex guttulae instillantur canthis oculorum. Præstat hoc remedium admirandos effectus in Epilepsia, quoniam repente tollit paroxysmum, aegroque restituit perfectum iudicium; uti ego certe scio.

Curat

Curat haec radix apoplexiam, ſi puluis eiusdem miſceatur cum aliquot guttulis ſucci limonum acidi, et oculis inſtilletur: id quod fieri debet eodem die, quo malum accedit, quoniam hoc pacto non diutius durabit, nec ſaepius recurret.

Eodem modo adhibetur puluis huius radicis, contra omnis generis uenena, aeque ac contra morſus ſerpentum, aut aliorum animalium uenenatorum, inungendo cum limimento, ex hac radice facto, partem morboſam, ac praecipue aſſumendo puluerem eius, cum dimidio ſextario aquae roſarum, uel ſconzonerae miſtum, loco potionis. Quodſi uero aeger, ab eiusmodi uipera morſus, adeo debilis ſit, ut morti uideatur eſſe proximus, fiant tres uel quatuor ſacrificationes inter ſupercilia, aut in uertice, et, ſi effluat ſanguis, inungatur linimentnm huius radicis plagae inflictae; quo facto, per gratiam DEI, in momento aeger ad ſe redibit, uitamque ſeruabit.

Prodeſt contra terrores, imprimis in infantibus, illisque applicatur contra pauorem in ſomno a ſpectris; quoniam hic timendus non eſt, ſi modo oculis eornm quater inſtilletur haec miſtura.

Inſeruit quoque linimentum huius radicis, cum ſucco limonum acido paratum, et oculorum canthis inſtillatum, ad diſſipandos ſopores.

Confert pariter ad maturationem, et apertionem apoſtematum, inungendo partem, quam aperire uolumus, cum hoc linimento.

In hemicrania uſurpatur puluis radicis, loco ſternutatorii naribus attractus.

Fluxum mensium restituit mulieribus, ac passiones hystericas curat, in quibus, uti per ignorantiam sibi imaginantur aegrae, uterus intra fauces ascendit, easque suffocat.

Si puluis hic, cum anatica parte zingiberis mistus, admouetur naribus aegri, apoplexia detenti, infallibiliter excitabitur idem e sopore, et respirabit. Nisi uero excitetur ille, ac respiret, est signum mortis.

Succurrit egregie illis, qui assumserunt uenenum, instillando puluerem, cum succo limonum permistum, oculis, et dando particulam eius in potu.

Prodest multum diarrhoea laborantibus, ea conditione, ne primis diebus applicetnr, quia eam cito sistere potest. Securum enim nullatenus est, ut humores subito reprimantur; sed potius conuenit, ut natura ab illis liberetur.

Inter omnes radicis de Queijo uirtutes, palmam tenet illa, quod excitet aegros, lethargo, aut sopore tam profunde detentos, ut ne quidem sentiant cucurbitulas, cum scarificatione applicatas. Quo casu, puluis radicis de Queijo misceatur, cum tot guttulis succi limonum acidi, ut fiat linimentum, eodemque inungantur canthi oculorum, quo facto, aegri uires sufficientes recolligunt, ut possint confessionem suam edere, ac testamentum componere. Quoniam tamen non ubiuis locorum haberi potest radix de Queijo, in auxilium eorum, qui sopore profundissimo affliguntur, communicabo illis remedium facile, et infallibile, quod illos certissime excitabit, et somno ita resistet, ut isti ad dormiendum redire nequeant, nisi assumant emulsionem ex amygdalis. Remedium illud est, ut dentur aegro, per tres dies, ieiu-

ieiuno uentriculo, unciæ quatuor infusi trochiscorum Alhandali, per chartam bibulam filtrati. Illi, qui certiores reddi uolunt de miraculosa feré efficacia, quam obtinet hoc infusum, in uincenda apoplexia, et affectibus soporosis, conferant *meam Polyantheam*, *secundae impressionis*, *Tract. II. c. XV. pag. 123. n. 1.* ubi inuenient nominatos aegros, qui, accepta iam ultima unctione, & benedictione, in apoplexia inuincibili, liberati sunt a morte, beneficio huius remedii. Rogo, per uulnera Christi, quoscunque Medicos, ne remedium illud spernant, quia ego, decursu quinquaginta annorum, aliud magis efficax reperi nullum, quam dictum infusum.

RADIX GINSĀO,
Eiusque utilitas.

Haec radix affertur ex China, magnique aestimatur, ob singularem uirtutem, in febribus acutis. Requiritur autem, ut ea coquatur cum iusculo, et exhibeatur aegris, in supremo morborum statu uersantibus.

Ratio dictitat, quod exigua portio huius radicis, in aqua fontana cocta, et statim calide assumta, in iusculo uitulino, uel alio, sit admirandum remedium, quibuscunque aegris prostratis, uiribusque exhaustis exhibendum. Solatur eadem multum nausea laborantes, quoniam illis appetitum excitat.

RADIX DE MONCVAQVIN,
Eiusque uires.

Haec radix, quae crescit in littore de Mocambica; e regione insularum de Querimba, egregiae et praesentaneae est uirtutis.

Alligata collo, ac in nudo pectore geſtata, praeſeruat ab omni ereſypelate in facie, ab omnis generis ueneficiis, itemque ab apoplexia. Impedit eryſipelas, ſi applicetur parti, quam praeſeruare uolumus.

ARANEA PERVVIANA, Eiusque indoles.

In Peru, et India Hiſpanica reperiuntur araneae grandiores, adeo uenenoſae, ac uirulentae, ut illi, quos mordent, intra paucas horas iugulentur. Certiſſimum et infallibile remedium, quod conſtat contra uenenum hoc praeſentiſſimum, eſt inunctio plagae inflictae, quinquies, aut ſexies quotidie repetita, cum ſucco lacteo, ex cuiusdam ficus, in illis terris creſcentis, folio, mediante forfice diſſecto, expreſſo. Notanter dico: ficus eiusdem terrae. Licet enim hae admodum ſimiles ſint noſtris ficubus Luſitanicis; differunt tamen ab his totaliter, quoniam Luſitanicae perdunt folia in hieme; Peruuianae uero iſtae uirides manent per totum annum. Fit hoc, dubio procul, altisſima prouidentia DEI, qui ideo, quia ſuccus lacteus horum foliorum abſolutum, et unicum eſt remedium, contra morſum harum aranearum, uoluit, ut per totum annum haberi poſſit iſte ſuccus, in auxilium hominum.

CORTEX DE ANGARIARI, Eiusque ſemen.

Creſcit haec arbor in regno Angolae, eiusque cortex aeque, ac fructus, qui ſunt nuclei compreſſi, nucleorum inſtar dactylorum, gaudent ſingulari uirtute diuretica,

tica, et lithontriptica, ad diffringendum calculum renum et uesicae: expurgant omnes humores uiscidos, et faeculentos, stagnantes in illis partibus, eosque cum urina expellunt. Egregiae quoque sunt efficaciae, in cura hydropis, cuiuscunque generis et indolis idem sit.

Cortex et fructus, ut desideratum effectum edant, sequenti modo usurpantur: Drachmæ duae rasurae corticis infundantur in uase fictili, cum sextario aquae fontanae, stentque in digestione, per uiginti quatuor horas, quibus finitis ebulliat massa, ad quartae partis absumtionem. Huius decocti detur aegro dimidius sextarius, ieiuno uentriculo, et uesperi, abstinendo postea per tres horas ab omni cibo potuque. Vt autem medicamentum hoc effectum optatum, pro more suo, in suppressione urinae post se relinquat, attendendum, ut aegro primo exhibeantur duo uomitoria, e tartaro emetico, aut uitriolo albo, altero uero die quater, et tertio die ter uena ipsi secetur. Est enim accidens hoc summe periculosum, et pertinax, cui, nisi breui obuiam eatur, aegrum occidit intra octo uel nouem dies. Adeo certus, et experientia confirmatus ego sum de uomitoriorum, tartari emetici, aut uitrioli albi efficacia, in suppressionibus urinae, ut illa omnibus anteponam, eaque ante uenaesectionem adhibeam. Moneo lectorem, si hoc remedium uoto non respondeat, quod ego possideam medicamentum quoddam secretum, tam admirandae uirtutis, in suppressionibus pertinacissimis, ut, monetam pro ea acceptam reddere me uelle, promittam, nisi intra quatuor dies sequatur effectus desideratus: ea tamen conditione, ut aeger ante omnia sumat uomitorium ex tartaro emetico,

aut uitriolo, ac poftea fiant octo uenaefectiones in in brachiis. Illi, qui cupiunt certiores reddi, de ueritate et uirtute huius remedii, adeant *meam Polyantheam Edit. fecund. Tract. II. cap. LXXX. fol. 509. a num. 36. ad 42.* quo loco reperient agros nominatos, quos iam tum unctos, et pro incurabilibus habitos, per gratiam DEI, et beneficio mei arcani, liberaui a fuppreffionibus urinae pertinaciffimis.

VNICORNV, E CAPITE AVIS, INHVMAE AVT ENHVMAE APPELLATAE, EIVSQVE CALCAR, QVOD GERIT IN ALIS, Horumque uirtutes.

In paludibus, et circa fluuium fancti Francifci das Capitanias Brafiliae, uiuunt aues, quae ab incolis uocantur Anhuma, uel Inhuma. Gerunt hae aues in capite cornu tenue, craffitie calami ftraminei, et longitudine palmae, ac in coniunctione alarum calcar triangulare, longitudine digiti, ac offis inftar durum. Calcar hoc, et cornu e capite dictae auis, gaudent admiranda uirtute bezoardica, contra omnia uenena, et contra malignitatem humorum, expellendo ea per fudorem, ita, ut detur fcrupulus unus dicti calcaris, aut cornu puluerifati, ac cum quatuor uel quinque unciis aquæ cardui benedicti, uel Scorzonerae mifti.

Hoc quidem remedium celebratiffimum eft, contra omnia uenena; fed penitus eft infallibile contra morfum ferpentis Cafcauel, cuius uenenum adeo fubtile et actiuum eft, ut eo ipfo momento, quo ferpens quem-

quempiam mordet, in quauis corporis parte, profusionem totius sanguinis, tam per eos, quam per oculos, aures, uias urinarias, poros, ungues, ac per posteriora efficiat; uti hoc confirmat experientia *Guilielmi Pisonis Lib. III. Hist. nat. Sect. II. de Auibus, fol. 91.* Detecta est egregia illa uirtus, unicornu auis Inhume in eo, quoniam, quum ex illis paludibus bibant uaria animalia uenenata, instinctus naturalis docuit reliqua animantia, in istis finibus uiuentia, ut congregentur omnia in littore istius fluuii, nec bibant ex eo, priusquam auis Inhuma immiserit rostrum, atque calcar alarum in dictam aquam: hoc autem facto, omnia cofidenter bibunt, eaque ratione ab omni periculo liberantur.

Quodsi tamen contingat, ut quidam a serpente Cascauel, omnium uenenosissimo mordeatur, deficienente hoc unicornu, aut calcari praedictae auis Inhumae, assumat idem pauxillum pulueris radicis serpentariae Virginianae, quae, ita iudicante Roberto Boyle, aliisque autoribus grauissimis, est supremum antidotum, contra morsum serpentis istius, aliorumque animalium uenenatorum. Potest tamen, loco horum duorum antidotorum, dari aegro particula stercoris proprii, recenter excreti. Vtut enim hoc remedium sit nauseosum; est tamen admirandae uirtutis: quod ego expertus sum in compluribus, ab illo serpente, aliisque animalibus uenenatis demorsis.

IAMVARANDIM,
Eiusque utilitas.

In Bahia, aut Pernambuco, nascitur radix tenuis, et compressa, quam incolae harum terrarum uocant Iamuaran-

randim, efficaciae miraculoſiſſimae, contra omnes morſus animalium uenenatorum, ſiue aſſumatur uiridis, aut exſiccata, et plagae inflictae imponatur. Eadem maſticata, urinam efficaciſſime prouocat, ac ſaliuam copioſiſſime ciet. Hanc ob cauſam, ea cenſetur ſummum antidotum, poſſidetque alias infinitas uirtutes, quae ſucceſſu temporis pededentim detegentur.

DE ATRAMENTO, EX CHINA ALLATO, QVOD, TRITVM CVM AQVA COMMVNI, PRAEBET ATRAMENTVM LONGE EXCELLENTIVS, QVAM ILLVD, QVO VTIMVR IN LVSITANIA.

Ex China afferuntur fruſtula nigra, gracilia, et plana, longitudine digiti, inter quae alia inaurata, alia minus, quorum uſus eſt, loco atramenti ad ſcribendum. Obtinent tamen iſta alias qualitates admirandas, auro pretioſiores. Quando enim oculi inflammatione intumeſcunt, adeo, ut rumpi ac prorumpere ex orbita uelle uideantur, effectum ſtupendum et miraculoſum edit hoc atramentum, uti ego uidi in filia quadam, Caietani de Mello de Caſtro, Vice-regis Indiae. Affligebatur haec filiola dolore, tam repentino oculi dextri, ut idem ex improuiſo intumeſceret, ac emineret magnitudine mali aurantiorum mediocris. Quum ergo omnes timerent oculi rupturam, ob tumorem et inflammationem inſignem, diſſoluebatur fruſtulum huius atramenti, in particula aquae fontanae, et cum hac aqua, aut linimento nigro, inungebantur palpebrae oculi, ſuperior et inferior: quo facto, incantamenti inſtar, ſpatio

ſpatio duarum horarum ceſſabat tumor, et rubedo oculi, ac per modum miraculi ſanabatur aegra. Eſt praeterea hoc atramentum ſupremum remedium, ad reſtinguendam omnem haemoptyſin, miſtum cum aqua quadam (tanchagen) deſtillata, ut fiat linimentum ſpiſſum.

RADIX DE MARANGA, ET CORTEX ILLIVS ARBORIS,

Et utriusque utilitas.

Inſeruiunt ad curanda omnia uulnera penetrantia, ſiue ab armis acutis, aut globulis emisſis excitata, forma ſequenti applicata:

Fiat ex illis puluis ſubtiliſſimus, ex eoque puluere, cum ſaliua miſto, formetur turunda, quali utimur in Chirurgia, aut in forma pulueris inſpergatur uulneri. Attendendum autem, ut turunda ſit eiusdem longitudinis, et craſſitiei, quae reſpondeat uulneri, ita, ut totum uulnus expleat, et fundum attingat, quoniam cito conſtringit uulnus. Praeterea ſingulis uiſitationibus imminuatur turunda, ut ſpatium relinquatur, pro generatione carnis: quod ſi obſeruetur, nulla alia praeterea opus erit cura. Quamuis enim in uulnere contineatur ſanguis coagulatus, non miſcenda ſunt alia remedia, quoniam ſolus hic puluis conſumit, et reſoluit omnem ſanguinem grumoſum, in uulnere contentum. Et licet uulnus penetret intra cauitatem pectoris, poſt illius conſolidationem, tamen non opus eſt linctibus, aut aliis remediis.

Conducit eadem praeterea, ad curationem omnium ulcerum antiquorum et rebellium, licet contineant materiam corruptam, admouendo puluerem corticis huius ulceribus, lauando ulcus ſingulis acceſſionibus cum aqua tepida, poſteaque inſpergendo largius dictum puluerem. Abſtergit labia ulceris, carnemque putridam exedit, cum leui ardore, qui tamen non ultra dimidium horae durat.

Efficax pariter eſt remedium in haemorrhagiis, ſi cortex in iuſculo uitulino non ſalito, et ſine alia temperatura coquatur, ac decoctum hoc calidum potui detur aegro, mane, ieiuno ſtomacho, et ueſperi. Huius beneficio breui ſanabitur.

Proficua quoque eſt dicta radix in Ophthalmia, licet etiam quoddam generet aegro incommodum, ob ardorem, quem excitat; maximopere tamen prodeſt, forma ſequenti applicata. Maſticetur cortex a quopiam, mane, uentriculo ieiuno, ante collutionem oris, eoque bene maſticato, anhelitum idem immittat, repetitis uicibus, intra oculos aegri; et continuando hoc per plures dies, aeger breui leuamen ſentiet.

Obtinet non minus haec radix, atque cortex iſtius arboris uim, fugandi omnes ſerpentes, et uiperas. Quam ob rem ille, qui eadem ſecum gerit, liber erit, quo minus offendatur ab iſtis. Tales enim, uiſa hac arbore, aut percepto tantum eius odore, ſtatim aufugiunt.

In contuſionibus cum uulnere, adhibetur idem puluis, cum dicta cautela, dilatando uulnus, ut puluis fundum eius attingat. Quodſi enim pars quaedam a puluere intacta maneat, mox ſuppurabitur, ita, ut opus ſit,

uul-

uulnus iterum aperire. Conſiſtit enim in eo praecipua eius uirtus, quod ſubito nouam carnem generet, cuius beneficio uulnus clauditur, atque conſolidatur.

RADIX ANTIFEBRILIS, QVAE VENIT EX CANARA, Eiusque uſus.

Audit Luſitanis haec radix alias Raiz preſta, ſeu radix prompta; hodie uero ex deuotione uocatur Raiz de Noſſa Senhora das febres, Latine radix Dominae noſtrae antifebrilis. Prodeſt quidem haec contra febres omnis generis, quibus affligitur corpus humanum; maioris tamen efficaciae eſt contra malignas, easdemque ſanat, ut non opus ſit alio remedio. Monendum tamen, quod, ſi aeger ſit Plethoricus, idem, aſſumtis tribus doſibus huius radicis, ſentiat febriculam quandam lentam, quod eſt ſignum abundantiae ſanguinis. Quamobrem conſultum eſt, poſtquam per tres dies continuos hoc remedium aſſumſerit, ut fiant aliquot uenae ſectiones, ac poſt eas aliquot purgationes, prout temperamentum aegri id permittit. Febre tamen nondum remittente continuetur uſus radicis, cuius beneficio perfecte ſanabitur. Quodſi uero febris dependeat tantum ab abundantia humorum, ſine dubio prima doſis huius radicis eandem diſſipabit. Requiritur tamen ſemper, ut minimum tres doſes eiusdem aſſumantur, quo pacto idem febres, ſiue ſint malignae, ſiue tertianae ſimplices, aut duplices, ſiue continuae, ſiue quartanae, infallibiliter fugabit. Attendendam praeterea, quod, licet adſint

obſtructiones, exempli gratia, lienis, aut inflatio uentriculi, nihiloſecius radix haec conducat ad curandam febrem; poſtmodum tamen neceſſe erit, praeparare aegrum potionibus aperitiuis, ac, his praemiſſis, apozematibus ex radicibus recentibus, cum ſpeciebus purgantibus paratis, ut aegro ſanitas confirmetur, idemque a recidiua immunis reddatur.

Obſeruetur quoque, ſi radix haec detur in quartanis, eiusdem uſum continuari debere, poſt eas, per duos, aut tres menſes, donec humores, a quibus tales febres oriuntur, corrigantur. Et, quando quartanae ſunt duplices, aut in quotidianas mutentur, quod eſt ſignum abundantiae humorum corruptorum, exhibeatur haec radix ſaepius, per plures dies: quia eiusdem, hac methodo uſurpatae, admirandi effectus obſeruati fuerunt.

Doſis, qua aſſumitur haec radix, eſt particula dimidii palmi longa, quoniam ea non adeo craſſa, ſed potius tenuis eſt. Haec eſt quantitas ordinaria, pro quouis ſubiecto, quae drachmam unam et ſemis ponderabit circiter. In principio morborum, praecipue febrium malignarum, in quibus, utut uires uideantur eſſe proſtratae, ſufficientes tamen adhuc ſunt in corpore, dari poſſunt pro doſi duae drachmae, ut bene operetur medicamentum.

Maceretur haec radix prius in aqua, ac poſtea, affuſa alia aqua, teratur optime in lapide, pro potu. Quodſi autem aeger pronus ſit ad euacuationes, affundi debet eidem, inter terendum, ter noua aqua, in qua prius oryza ſit macerata; et ita maſſa bene trita, diſſoluatur in quatuor unciis aquae. Si autem ſedes ſequan-

quantur ſufficientes, et naturae aegri conuenientes, radix poſtea, affuſa inter terendum noua aqua, coletur bis uel ter in alia uaſa fictilia; quo ipſo obtunditur acredo quarundam particularum radicis, non ſatis bene tritarum.

Tempus ordinarium eadem utendi, eſt matutinum, uti aliorum medicamentorum; experientia tamen docuit, quod aqua iſta, dicta quantitate eo tempore data, quando intermittentes incipiunt declinare; prodigioſos ediderit effectus: quoniam hoc eſt optimum tempus, ut cura bene ſuccedat.

Quodſi neceſſitas requirat, poteſt eodem die aſſumi haec radix, et quoque uena ſecari: obſeruando tantum, ut, ſi radix uſurpetur mane, uenaeſectio inſtituatur, elapſis nouem horis, aut ueſperi. Nec minus obſeruandum eſt, ſi copioſa a radice ſequatur operatio, non conuenire uenaeſectionem, eodem die, quoniam hoc eſt ſignum abundantiae humorum: quam primnm uero aeger ſomno uires refecit, repeti poteſt uſus radicis, in minori doſi. Semper enim prima uice dari debet maior doſis, quae eſt ad drachmas duas; pro reliquis uero doſibus detur drachma una.

Diaeta, quae in uſu radicis obſeruari debet, non alia eſt, quam qualis in omnibus aliis morbis requiritur, iuxta principia diaetetica communia. Luſitani comedunt pullos gallinaceos coctos.

Excellentis uſus quoque eſt haec radix, in morbo illo, in quo lingua fit nigra, aut liuida.

RADIX AD APOSTEMATA, Eiusque uirtutes.

Inseruit haec radix, ad resoluenda omnis generis apostemata, tam simplicia, quam composita, interna et externa, nec non omnes tumores, bubones, et carbunculos, pariterque stagnationes sanguinis, a contusione, uel lapsu inductas.

Conducit ea non minus in pleuritide, et omnis generis doloribus punctoriis, a sanguine stagnante excitatis, et contra omnia illa symptomata, applicatur modo sequenti: Radicis huius, in frustula minora concisae, sumantur circiter unciae duae, paulo magis, uel minus, ebulliant in uase fictili nouo, nulla aciditate aut pinguedine inquinato, donec decoctum acquirat colorem uini coloratioris: addatur postea parum farinae oryzae, et continuetur coctio, ad consistentiam emulsionis amygdalaceae, quae exhibeatur potui aegro, qui affligitur quocunque horum symptomatum, supra adductorum, mane, a meridie, et uesperi. Additur farina, ad corrigendum saporem radicis nauseosum: potest autem omitti, si aeger decoctum purum assumere possit. In aqua, qua utitur aeger, loco potus ordinarii, potest pariter infundi particula huius radicis. Quod si apostema, aut quicunque alius tumor, contineat tantum sanguinem stagnantem, resoluetur idem intra uiginti quatuor horas; si iamtum materiam purulentam, intra tres, aut quatuor dies. Vtut autem hi tumores adeo breui tempore dissipentur; utile tamen erit, continuare illam curam minimum per duos annos, cuius ratio

tio eſt, ne humor reſolutus ſubſiſtat denuo in hac, uel in alia parte. Praeterea quoque obſeruandum eſt, ut, reſoluto apoſtemate, uel alio tumore, aegro uena bis ſecetur, in pedibus, nec non blande laxetur idem: quo pacto disiicitur omnis iſte humor malignus, quem radix eiecit ex apoſtemate.

Eadem forma exhibita, prodeſt etiam lieni.

RADIX ANTAPOPLECTICA.

Iſta radix cum aqua teritur, ac calide corpori inungitur, aut ex quibusdam eius fruſtulis fit brachiale, quod in brachio nudo, aut quacunque alia corporis parte geſtatum, curat apoplexiam.

Inſeruit etiam haec radix contra febres, pulueriſata, et cum tanta quantitare aquae miſta, quae ſufficiat ad lauandum totum corpus, cum frictione. Quo facto, corpus optime tegatur ſtragulis ſufficientibus, ac ſudadatione inſtituta, febris euaneſcet.

ARBOR QVIRIATO, Eiusque qnalitates.

Haec Arbor, quam uocant Quiriato, aut alio nomine Fucamena, eſt exigua, cuius folia habent longitudinem palmi, latitudinem mediocrem, ac criſpa ſunt (inſtar foliorum de Caiuero) Radix huius arboris peculiares obtinet uires, in ſiſtendis doloribus capitis, aut iisdem minimum mitigandis. Ex eadem pulueriſata, et cum aqua miſta, fit cataplaſma, quod applicatum uertici, et temporibus, lenit optime dolores capitis. Repeti autem debet applicatio huius cataplaſmatis ſaepius, non permittendo, ut illud exſiccetur. OLE-

OLEVM SVCCINI, Eiusque uirtutes.

Hoc oleum omni iure, excellentiſſimum totius Europae opobalſamum uocari meretur, quoniam palmam praeripit omnibus aliis medicamentis, in cura apoplexiae, aliorumque magnorum morborum. Ideoque olim dicebatur oleum ſanctum.

Tempore peſtis, ſi quis aſſumat mane, et ueſperi, ſex guttas huius olei, eodemque canales narium inungat, liber erit ab infectione. Qui uero iam tum infectus eſt hoc malo, bibat ſcrupulum unum ad duos eiusdem olei, in aqua cardui benedicti.

Quicunque afflictum ſe ſentit periculoſa quadam capitis debilitate, qualis obſeruatur in paralyſi, apoplexia, epilepſia, etc. aſſumat mane, ieiuno uentriculo, octo guttas iſtius olei, in decocto betonicae (aut alfazema) aut maioranae. Eiusdem uirtutis eſt bolus e ſaccharo, cum aliquot guttulis huius olei permiſto. Pro quibuscunque enim aegris, apoplexia, paralyſi, aliisque grauioribus morbis laborantibus, praeſtantius remedium non datur, quam oleum ſuccini. Inunctum hoc oleum naribus, temporibus, et iuncturis articulorum, ſubito illa mala ſanat, ac ſenſationem motumque in priſtinum ſtatum reſtituit. Liberat pariter ab illis morbis idem oleum, prunis iniectum, et uapor, hoc ipſo excitatus, naribus exceptus.

Aſſumtum hoc oleum in aqua petroſelini, purificat uias urinarias a calculo, aliisque impuritatibus.

Curat idem membra reſoluta, neruosque, atque artus contractos, et incuruatos, inungendo iſtos oleo ſuccini, cum unguento appropriato permiſto. Scru-

Scrupulus unus et ſemis iſtius olei, in aqua artemiſiae propinatus, foetum ad exitum diſponit.

Conducit pariter in catarrhis frigidis capitis, et urinam pellit.

Naribus, et regioni cordis inunctum, paſſiones hyſtericas grauiſſimas ſiſtit. Id quod etiam praeſtat bolus, e ſaccharo cum oleo permiſto factus, et aliquoties aſſumtus.

Magnae quoque eſt utilitatis, in grauiſſimis debilitatibus, atque anxietatibus cordis.

Idem auget uires cordis, confortat hepar, magnaeque eſt efficaciae, in promouendis digeſtionibus uentriculi.

Tres guttulae huius olei, paulo ante acceſſum paroxyſmorum, in intermittentibus, in aqua cardui benedicti propinatae, paroxyſmum cito tollunt, febremque ipſam curant.

Conducit idem oleum in catarrhis et fluxionibus.

Prodeſt etiam in doloribus dentium, a catarrhis oriundis, ſi inſtillentur aliquot guttae eiusdem, aquae deſtillatae, (tanchagem) pro gargariſmate.

Vtile quoque eſt hoc oleum, ad curandum icterum, ſi aſſumatur in decocto foliorum mori, aut radicis graminis.

In colica aſſumatur ſcrupulus unus, aut dimidius huius olei, in iuſculo gallinaceo.

Contra paſſiones hyſtericas, adhibeatur illud in aqua meliſſae, aut florum aurantiorum.

Ad promouendas ſecundinas, exhibeatur illud in aqua artemiſiae, aut ſabinae.

In obſtructione menſium aſſumitur in aqua meliſſae, aut in decocto artemeſiae, aut nepetae.

Inferuit etiam hoc oleum contra ſputum, aut uomitum cruentum, in decocto petroſelini ſaturato asſumtum.

Prodeſt etiam iis, qui obſcuritate oculorum laborant, et ſcotomia affliguntur, quoniam incraſſationem humorum tollit.

Confortat egregie uiſum, ſi per plures dies mane, ieiuno uentriculo, aſſumatur ſextarius aquae, cum uncia ſemis radicis ualerianae blando calore leuiter coctae, ac unicuique ſextario huius decocti, inſtillentur aliquot guttulae huius olei.

Exhibentur huius olei quatuor, quinque, ſeptem, aut decem guttulae, pro quauis doſi, pro diuerſitate temperamentorum, ac uirium in aegrotis.

Haec ſunt remedia, quae ordinarie magis ex India, aliisque orbis terrarum regionibus, ad nos afferuntur, quorum aliqualem notitiam poſſidemus. Quoniam tamen haec tota adhuc confuſa, atque parum ſecura eſt, ideo ego operam impendo, in examinandis genuinis horum ſimplicium uirtutibus, ut cum maiori ſecuritate iisdem uti queamus. Faxit DEVS, ut eorum effectus reſpondeat uoto ac deſiderio meo, quo flagro, omnibus inſeruiendi.

CORNV RHINOCEROTIS,
Eiusque uirtutes.

Drachma ſemis iſtius cornu pulueriſati, aſſumta per quinque dies, ieiuno uentriculo, in decocto graminis (aut de codego) occidit lumbricos.

Aqua, cum hoc cornu per quadrantem horae infuſa, cor reficit, ſitimque temperat. In

In angina, et parotidibus inungantur per plures dies partes affectae, cum linimento, ex puluere ipsius parato. Qui palpitationibus cordis affliguntur, insigne leuamen sentiunt, si bibant aquam, in poculum, ex cornu rhinocerotis formatum, per quadrantem horae infusam.

RADIX MINHAMINHA, AVT QVIMINHA, Eiusque utilitas.

Praesentaneae uirtutis est haec radix contra uenena, adeo, ut aequalis, aut praestantioris sit uirtutis cum cortice serpentino, quod expertus est chirurgus peregrinus, Estruque uocatus. Dedit hic duabus gallinis deglutiendum arsenicum, quo deglutito, gallinae mortuarum instar iacebant. Hoc uiso, propinauit idem alteri harum Minhaminham, cum aqua mistam, alteri uero corticem serpentinum, eo animo, ut constaret, quaenam harum radicum maiori gaudeat uirtute alexipharmaca. Factum autem est, ut utraque gallina mortem effugeret.

Alius quidam Chirurgus Belgicus, cui nomen erat Alexandri, examinare uoluit uires Minhaminhae, eaque intentione, dedit cani pauxillum mercurii sublimati, ac postquam canis prosterneretur, potui dedit eidem aquam, cum Minhaminha infusam: qua accepta, canis se erigebat, perinde, ac si nullum unquam accepisset uenenum. Nascitur haec arbor in regione Embaçae, estque dumus exiguus, nullum emittens truncum, sed e ramulis tenuissimis compositus, qui e radice

exſurgunt altitudine rorismarini, maiores, uel minores, foliumque habet exiguum triangulare. Gaudet iſta radix uirtute adeo rara, ut, ſi cum illa miſceantur aliae radices, tales efficaciam atque uirtutem omnem amitterent, quoniam Minhaminha eam totam attrahit. Haec eſt cauſa, quamobrem Minhaminhae nomen ipſi indiderunt, quod lingua Angolae ſignificat allicere, aut quia radix haec attrahit uirtutes ex aliis, aut quia illa attrahit uenenum, in uentriculo reperiundum, idemque expellit, et, ſi nullum ibi uenenum inuenerit, nulla ab eius uſu noxa timenda erit.

RADIX DE MVTVTVTV,
Eiusdemque indoles.

In terris Angolae inueniuntur arbores, quas incolae uocant Mutututu, quae admodum ſimiles ſunt noſtrae arbuto, tam quoad folia, quam quoad fructus; licet iſti fructus nec comedantur, nec grati ſaporis ſint. Radix tamen huius arboris magnae uirtutis eſt, contra eryſipelas, et inflammationes teſticulorum, ut et aliarum partium. Teritur haec radix cum aqua communi in lapide, donec fiat maſſa pultacea, quae imponitur eryſipelati, et parti inflammatae, aut doloroſae. Hac ratione applicatum cataplaſma, egregie confert; obſeruato ſolum, ne illud exſiccetur, et ut idem continuetur tamdiu, quamdiu morbus id ipſum requirit. Multi utuntur hoc cataplaſmate in doloribus arthriticis. Inſeruit pariter hoc pulmentum, in Clyſteribus applicatum, contra diarrhoeas cruentas.

VEN-

VENTRICVLVS AVIS EMA, SEV CASVARII,

Eiusque ufus.

In filuis de Maranhao, et in littore Pará generatur, et uiuit auis, quae appellatur Ema, cuius corpus et magnitudo excedit magnitudinem maximi Peruuiani. Huius auis tunica, aut membrana interior uentriculi, fingulari uirtute praedita eft, confortandi uentriculum, et calculum uefícae comminuendi, urinamque pellendi. Datur huius uentriculi pulueriſati drachma una, in dimidio fextario uini Rhenani, aut aqua, cum uncia femis uirgae aureae, uel erucae marinae, uel chaerefolii coctae. Opus tamen eft, ut aeger ante omnia affumat uomitorium e fex granis tartari emetici, aut drachma femis uitrioli albi, ipfique intra triduum uena fecetur nouies, Hi, qui, praemiffa hac praeparatione, exhibebunt dictum remedium, admirandos affequentur effectus, in fuppreffionibus urinae.

CORTEX MVBAMGO,

Eiusque uirtutes.

Mubamgo eft arbor filueftris, cuius exterior cortex albus, folium uero altera facie album, altera uiride, ad exemplum folii ulmi, idemque compreffum, et trium digitorum latum. Odorem fpargit hic cortex adhuc uiridis fuauiffimum, adeo, ut illi, qui hanc

ſiluam intrant, odore iſto gratiſſimo delectentur. Radix huius arboris, in forma cataplaſmatis calide applicata, et dimidium cochleare eiusdem in potu datum, egregie conducit membris paralyticis. Propinatur quoque cum fructu iis, qui diarrhoea a cauſa frigida laborant, eundemque in finem in clyſteribus applicatur.

Puluis eiusdem radicis, loco pulueris errhini uſurpatus, eodem modo, et adhuc felicius, quam Seuadilha, ſpiritus excitat; eamque ob cauſam prodeſt quam maxime mulieribus, paſſionibus hyſtericis decumbentibus. Reperitur hic cortex in ſiluis regionum Embaça, et Caſange, aliisque.

LINGVA St. PAVLI, SEV GLOSSOPETRA,

Eiusque uires.

Lapides iſti, linguam paſſeris accurate exhibentes, colorisque gryſei, inſtar oliuarum de Eluas, repe-riuntur in terra Malthae, maximaque gaudent uirtute contra febres malignas, et quascunque alias. Puluis enim horum lapidum ſubtiliſſimus aſſumtus, mitigat calorem febrium exceſſiuum, imminuit anxietates, ac prouocat ſudorem. Attribuunt plures iisdem lapidibus ſingulares uirtutes alexipharmacas, quoniam per aliquod experimenta inſtituta conſtat, quatuor aliquando aegros, ab accepto ueneno, mortuorum inſtar iacentes, ope pulueris horum lapidum, ipſis ſtatim propinati

pinati feliciter euasisse. Quantum ego testis oculatus de iis asserere possum, est, quod foemina quaedam, febre maligna decumbens, mortique tam proxima, omnique sensu adeo destituta, ut cucurbitulas, cum profunda scarificatione applicatas, ne quidem perciperet, post acceptam ultimam unctionem, exhibito a me Bezoardico meo, cum puluere duarum linguarum permisto, eodem die ab orco reuocata sit. Erat haec mulier in domo affinis sui, Emmanuelis Pereyra, in Boa uista degentis, in uicinia plateae das Galegas. Inueniuntur etiam hi lapides in freto de Casomdama, in regno Angolae. Praeter hos lapides occurrunt in eodem freto alii rotundi, magnitudine granorum frumenti Lusitanici, latiores, instar lapidum serpentis de Dio, eiusdem cum lapidibus serpentinis uirtutis, qui morsibus quarumcunque uiperarum uenenatarum appositi, uenenum in momento extrahunt. Vocantur isti lapides oculi uiperarum.

CORTEX QVISECO,
Eiusque qualitates.

Ex regno Bengalae affertur cortex, cui nomen est Quiseco, e quo cataplasma praeparatum, et uertici applicatum, dolores capitis cito sistit. Eandem quoque efficaciam habet cortex, qui uocatur Quicongo.

HER-

HERBA QVITVMBATA,
Eiusque indoles.

Radix huius herbae tantae eſt efficaciae in ſupprimendis diarrhoeis, ut, quum aliquando cura mea uterentur aliquot aegri, per quinque ac ſex menſes diarrhoea laborantes, nullo remedio ad eam ſiſtendam quicquam contribuente, exhibito ſolum ſemel aut bis puluere iſtius radicis, ita obſtruerentur, ut opus fuerit clyſtere, ad aluum denuo aperiendum. Modus utendi hac radice conſiſtit in eo, ut cum aqua teratur in lapide, donec fiat maſſa pultacea mediae conſiſtentiae, ac de ea cochleare unum exhibeatur aegro. Notiſſima eſt haec herba in iſtis regionibus, tantaque eiusdem eſt abundantia, ut eadem ueſcantur porci. Repit ea in terra, folioque inſtructa eſt minori, rotundo, floreque pariter albo minimo.

AVRICVLA PANTHERAE,
Eiusque uſus.

In Bahiae quadam regione, cui nomen eſt Cachoeyra, prouenit herba, quam incolae uocant auriculam pantherae, cuius radix nodoſa eſt, uti radix Cypo. Certiorem me reddiderunt quidam fide digni homines, radicem auriculae pantherae ſingulari ſua uirtute, conducere tuſſientibus, atque empyicis, ſi puluis eiusdem, cum conſerua roſarum antiqua, uel cremore hordei miſtus, aſſumatur per plures dies.

ROGO

ROGO LECTORES QVAM MAXIME, VELINT PONDERARE AEQVO ANIMO SEQVENTES RATIONES, QVONIAM SPERO, FORE, VT SENTENTIAM FERANT MIHI PROFICVAM.

Consuetudo est admodum usitata in aula Parisiensi, aliisque orbis terrarum aulis, atque urbibus, ut hi, qui notitiam habent remedii cuiusdam utilis, ad curandum aliquem morbum rebellem, affigere curent schedulas in locis ciuitatum istarum publicis, quibus diuulgare solent, Titium, in hac uel ista platea degentem, possidere remedium, ad talem uel talem morbum curandum idoneum. Nec contenti hac diligentia, distribuere solent schedas hominibus, per plateas incedentibus. Quo ipso fit, ut paucis diebus neminem lateat, quo loco reperire possint auxilium, in morbis pertinacissimis, remediis ordinariis nullatenus obedientibus.

Institutum hoc, bono publico adeo proficuum, exequi saepissime desideraui, ut nota redderem remedia singularia, indefesso studio, multorum annorum decursu, a me inuenta; quo aegrotantes talia in usum trahere possent. Cohibui tamen illud desiderium ad hunc usque diem, non ignorans, talia, utut in se optima, nisi semper effectum desideratum edant, hominum, sinistre de iis iudicantium, malitia, atque bile amarissima, conuerti saepissime in uenena. Hoc non obstante, nec detrectationes, nec uaria iudicia bilem in me mouere, meque ab instituto hoc deterrere potuerunt, quoniam paucissimi mihi restant anni. Quamobrem consilium cepi,

 publi-

publico manifeſtare, quod ego praeparem duodecim remedia, quorum ope plurimos aegros, arbitrio fati iamtum relictos, a morte liberaui. Nullatenus enim me latet, quamplurimos eiusmodi affligi morbis, qui eosdem aut iugulant, aut per plures annos uexant, a quibus potuiſſent curari, niſi ignoraſſent, in domo mea remedia, morbis iſtis contraria, haberi poſſe. Quamobrem rogatos uolo Medicos, apud quos plus ualet amor diuinus, quam odium humanum, ut iisdem utantur, quando medicamenta uulgaria nil efficiunt.

MORBI IN QVIBVS PROSVNT DICTA REMEDIA, SVNT SEQVENTES.

In ſtrumis, in febribus malignis, aut uariolis, in epilepſia, haemorrhagiis, ſuppreſſionibus urinae pertinaciſſimis, febribus intermittentibus, in paſſionibus hyſtericis, haemorrhoidibus, ad exſiccandum lac, in uertigine, et lumbricis. In ſumma praeparo ego maſſam, quae uocatur Curuiana, magnae uirtutis contra morbos hucusque enumeratos.

Incipiendo uero a remedio, contra lumbricos directo, dico, quod illud rariſſime fallat, quin idem totum e corpore expellat uermium nidum, ſi aſſumantur ſcrupuli duo illius medicamenti, per tres dies ſucceſſiuos, ſiue in ſubſtantia, ſiue cum duabus unciis aquae communis infuſi.

Maſſa Curuiana datur in forma pilularum, ad drachmam unam. Prouocat ea efficaciter fluxum menſtruum, uſurpando illam duodecim diebus alternis, ſuperbibendo eidem, poſt duas horas elapſas, dimidium ſextarium

tarium decocti frumenti secalis, cum duobus granis croci, ac duodecim granis pulueris seminis petroselini temperati, aut decocti nepetae, montanae dictae.

Deoppilat optime uasa sanguifera; quo fine singulis duobus scrupulis huius massae, additur scrupulus unus croci Martis aperitiui, usus que huius remedii per quindecim dies continuatur. Dicta massa multum solatur asthmaticos, ita tamen, ut, duabus horis elapsis, bibat aeger haustum decocti calidi turionum hyssopi, aut uncias tres aquae mille florum, in Maio destillatae. Assumuntur sex doses huius massae, alternis diebus. Liberat uentriculum a cruditatibus, et humoribus uiscosis, quater alternis diebus usurpata haec massa. Curat melius, quam quodcunque aliud remedium, duritiem, et oppilationem lienis, tumores mammarum in foeminis, atque strumas, assumendo huius massae scrupulos quatuor, eo regimine, quod docui *in Polyanthea Tract. III. cap. IV. fol. 857.*

In doloribus capitis, a uitio uentriculi procedentibus, uti saepissime fit, haec massa admirandos post se relinquit effectus, usurpando quinque doses eius, alternis diebus, et bibendo post eius usum quatuor uncias decocti cardui benedicti.

Illi, qui scire cupiunt, utrum dicta remedia re ipsa sint adeo proficua, prout a me praedicantur, poterunt explorare illos, quos ope istorum curaui, et obstupescent, ac experientur, quod potius misericordia erga proximum afflictum, quam uanitate, aut ambitione propriae famae ductus, hanc relationem de iis ediderim.

Aegri, quos liberaui a ſtrumis inueteratis, inueniri poſſunt nominati *in libro mearum obſeruationum*, *Obſ. VII. fol. 53.*

Hos, quos febribus malignis afflictos reſtitui, beneficio Bezoardici mei Curuiani, inter quos non pauci fuerunt, ad quos, accepta iam ultima unctione, uocatus ſum, nominatos uidere licet *in Polyanthea, Tract. II. cap. CV. fol. 654. ad 663.*

Eos, quos ab Epilepſia liberaui, quorum unus malo hoc haereditario laborauit, nominaui *in Polyanthea*, *Tract. II. cap. IX. fol. 81. ad 82.*

Illi, in quibus haemorrhagias curaui, enumerati ſunt *Tract. II. cap. IV. fol. 854. ad 856.*

Iſti, qui, ſuppreſſione urinae pertinaciſſima oppreſſi, a me ſanati ſunt, inueniri poſſunt *in dicto libro, cap. LXXXI. fol. 509. num 36.*

Vltimo tandem loco, Medicos, quibus uidebitur, me officium praeſtare reipublicae, in lucem emittendo remedia quaedam ſecreta, quae hactenus, ob defectum notitiae eorundem, ab aegris in uſum tracta non fuerunt, eos, inquam, rogatos uolo, ut idem agant, ſuaque, quae forte poſſident, medicamenta egregia publico communicent: erit hoc opus Deo gratiſſimum. Non equidem dico, eos, quamdiu in uiuis ſunt, compoſitionem ſuorum arcanorum reuelare debere, quia nec ego compoſitionem meorum publici iuris facio; ſed hoc ſaltem uolo, atque contendo, uelint nota reddere ſua, ad utilitatem publicam; quod ipſum ego in praeſenti ago, quodque omnes, in gratiam aegrotantium, facere decet.

FINIS.

CATA-

CATALOGVS
REMEDIORVM ARCANORVM AVCTORIS
OBSERVATIONIBVS MEDICIS EIVSDEM LATINIS, PRAEMISSVS.

Bezoardicum Curuianum.
Trochiſci de Fiorauanto.
Pilulae Abſorbentes.
Extractum Alcaheſt.
Vnguentum ad lactis exſiccationem.
Trochiſci ad ſiſtendum ſanguinem.
Aqua Luſitana.
Pilulae contra ſtrumas, aſthma, et duritiem lienis.

Pilulae contra epilepſiam, et uertiginem.
Linimentum contra haemorrhoides coecas.
Puluis ad gonorrhoeam.
Pilulae emmenagogae.
Paſtilli contra diarrhoeas, et ad reſtinguendum fluorem album mulierum.
Electuarium contra febres quartanas, et tertianas,
Maſſa contra lumbricos.
Confectio contra paſſiones hyſtericas.
Electuarium ad ſuppreſſiones urinae pertinaciſſimas.
Maſſa curuiana, multiplicis uſus.
Haec omnia inuenire licet in Prooemio mei Peculii.
Morbos, in quibus proſunt iſta remedia, doſin eorundem, tempus durationis, et pretium, quo ueniunt, expoſui in Tractatu, qui inſcribitur *Manifeſto*.

LIBRI AVCTORIS TYPIS IMPRESSI.

Tractatus de Peſte, elaboratus eo tempore, quo peſtis pertimeſcebatur.

Poly-

Polyanthea Medica, tertia uice impreſſa, et aucta, in qua exhibentur multorum morborum curationes, et optima remedia, ad eosdem curandos.

Obſeruationes Medicae, lingua Luſitanica conſcriptae.

Pugillus rerum Indicarum, quo comprehenditur Hiſtoria remediorum exquiſitorum, ex India, et aliis orbis terrarum regionibus allatorum, expoſitis ſimul eorum uirtutibus, et cautelis, in eorum applicatione obſeruandis, opus a nemine hactenus publicatum.

Tractatus, qui inſcribitur Manifeſto, ſeu Admonitio ad ſanitatem amantes, quo, adductis teſtimoniis grauiſſimorum Doctorum, demonſtratur, purgantia dari poſſe, humoribus adhuc crudis exiſtentibus, quando, ſiue peccent copia, ſiue malignitate, natura eos non poteſt digerere, aut ad exitum praeparare.

Obſeruationes Medicae, Latina lingua exaratae.

TRA-

TRACTATVS AVCTORIS
AD IMPRESSIONEM
PARATI.

Peculium remediorum utilissimorûm, in usum familiarum, et eorum, qui uiuunt in locis, Medico carentibus.

Tractatus de Auro Diaphoretico, cuius praeparationem, et uirtutes, quas obtinet, modumque applicandi, expono in fine mei Peculii.



